Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Georg Friedrich Stieber

Georgi Friederici Stieberi, D. De Theologia Ænigmatica : Ex Dicto Pavlino I. Cor. XIII. 12. Brevis Commentatio : Accedit Programma B. D. A. J. de Krakevitz, Qvo Avtoris Vita Et Scripta Brevibus Delineantvr

Tertivm Jam Edita, Rostochii & Neobrandenburgi: Sumptibus Georg. Ludewigii Fritschii, 1741

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1003463118

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1003463118/phys_0001
DFG

Schol. Gustrov.

1821.

fc_4675.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1003463118/phys_0002
DFG

GEORGI FRIEDERICI
STIEBERI, D.
DE

THEOLOGIA ÆNIGMATICA,

EX DICTO PAVLINO
I. COR. XIII. 12.
BREVIS

COMMENTATIO,

ACCEDIT

PROGRAMMA

B. D. A. J. DE KRAKEVITZ,
QVO
AVTORIS VITA ET SCRIPTA
BREVIBVS DELINEANTVR.
TERTIVM JAM EDITA.

Roſtochii & Neobrandenburgi,
Sumptibus GEORG. LVDEWIGII FRITSCHII,
Bibliopol. 1741.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1003463118/phys_0005
DFG

Ex
Bibliotheca
Academiae
Rostochiensis

AUGUSTISSIMO & POTENTISSIMO
REGI ac DOMINO,
DOMINO
FRIDERICO,
SVECORUM-GOTHORUM
VANDALORUMQVE,
REGI
&c. &c. &c.
DOMINO MEO
LONGE CLEMENTISSIMO,

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1003463118/phys_0007
DFG

SERENISSIME REX,

TUum sibi Nomen Augustum Dissertatio hæc inscribere audet, Regum Optime! Maxime! non argumenti adeo, multo minus auctoris, sed Clementiæ TUÆ & Loci qvadam, sive Academiæ (qvæ Tua est) fiduciâ. In Gryphica enim habita est, qvæ jam post diuturni belli calamitates TUIS Regum Clementissime! auspiciis læta facie denuo assurgit: qvæqve grati devotiqve animi gaudium publicâ solennitate testari vult. In cujus societatem atqve communionem cum & ego à Veranda Facultate Theologica admissus fuerim

rim, eandem mihi nunc Clementiæ Tuæ partem ſupplex rogo, qvam ampliſſimi Regni Tui ſubditorum qvilibet ſibi exoptat. Antiqvum enim Celeberrimæ Gentis Svecicæ decus, atqve Regni hujus in Eccleſiam Germanicam puriorem merita cum nullus non admiretur, & ego ſemper Arctoi Orbis admirator cultorqve fui humillimus: Tum vero maxime, cum per multos annos in Aula Guſtrovienſi verſarer, atqve ob officii ſacri fidem intimiori admiſſione voluntatem atqve ſtudia Sereniſſ. qvondam meæ B. Ducis MAGDALENÆ SIBYLLÆ pernoſcerem; Tunc enim cum ſumma animi voluptate didici, qvantum & qvam ſacrum Arctoæ Gentis in Germania atqve præſertim in Aula Guſtrovienſi fuerit Nomen, non ſolum tum, cum B. Sereniſſimus Dux GUSTAVUS ADOLPHUS terris Meclenburgicis imperaret, ſed & cum poſt

fata Tanti Principis, Vidua ejus Serenissima MAGDALENA SIBYLLA Regnorum Septentrionalium variam fortunam atqve vices, ubiqve tamen utriusqve virtutem & constantiam admiraretur, qvorum salutem indefessis etiam precibus Deo commendare nunqvam cessabat. Nec mirum: ut enim in Dania Filiam REGINAM, ita in Svecia Sororem REGINAM, tenerrimo affectu deosculabatur: de qvo innato Serenissimæ meæ Principis Beatæ in Gentem Svecicam amore tot manifesta extant testimonia, ut Illustrissimis etiam Regni Tui Familiis, Senatoribus, belli Ducibus aliisqve notissima sint. In ista Aula Gustrovienſi, Regum Optime! cum per multos annos singulari Principum gratiâ versatus fuerim, insigniter etiam Regni Tui Gentisqve Tuæ aucta fuit admiratio. Svecicæ enim Genti ut imperares divina voluit providentia; atqve hoc

trepi-

trepidum animum magis confirmat. Constat enim inter omnes & Reges & incolas hujus regni literarum semper amantissimos fuisse, licet armis adsvetos: ut doctis *de Gentium Borealium in Literas*, addo, *in Ecclesiam meritis*, ampliſſimum ſit ſcribendi argumentum. Sanê omnibus ſeculis & manu & ingenio valuit NatioSvecica, cujus is ſemper fuit animi vigor, ut hoc duce atqve inſtinctore, nihil ipſi vel literis vel armis arduum atqve impervium fuerit viſum. HujusNationis Regem TE conſtituit Rex Regum DEUS; quod & Ipſe virtute bellica & literarum amore inter Orbis Principes dudum excellueris. Inſita atqve innata TUA hæc eſt virtus, qvæ Ortum h. e. Celſiſſimæ DomusCaſſellanæ avitam gloriam illuſtri prodit indicio. Ut enim PHILIPPUS, qvi conſtanti inter adverſa fortitudine *Magnanimi* nomen meruit, armis pro Eccleſiæ Noſtræ Liber-

tate certavit; ita WILHELMUS Sapientiæ & Pietatis, MAURITIUS vero tantæ eruditionis gloria eminuit, ut inter Principes eruditos, Princeps omnino fuerit; qvo sanè majorem Literatus orbis nunqvam miratus est, vix parem. Ignosce vero Rex Pacifice! Rex Juste! ignosce! TE enim in tanta Majestatis atqve virtutis Regiæ fastigio positum adire supplex audeo: devoti animi indicium est, non audaciæ. *Reges* qvo majores, eo & clementiores esse solent. Leve qvidem est, qvod offero, nec TUA Majestate dignum: *Argumentum* vero Disputationis sacrum est, majestatem atqve sublimem Supremi Numinis gloriam amplificans, qvæ tanta est, ut in Ænigmate atqve per vitrum conspicienda tantum exhibeatur, ne lucis claritate & splendore excœcaremur: præterea, ut Regum Majestas angustis haud continetur unius provinciæ finibus, sed late se, cum imperio

perio per omnes regni partes diffundit; ita consideratio hæc Theologica non unius *Articuli* Fidei, vel Theologicæ Controversiæ tractatione absolvitur, sed generalissima est, & late per omnes doctrinæ Christianæ partes se diffundens, totumqve Theologiæ Systema observationibus qvibusdam illustrans. Suscipe ergo clementer REGUM CLEMENTISSIME! has Academiæ Gryphicæ post redditam pacem, publica solennitate oblatas humillime primitias; suscipe primitarium harum h. e. Dissertationis hujus qvaliscunqve auctorem humillimum. Reges enim sunt asyla, atqve sacra non Reipublicæ tantum, sed & privatorum anchora. Servet TE verò DEUS cum ULRICA ELEONORA Reginarum Optima Maxima, atqve cunctis Vestram suæ proximam Majestatem cumulet bonis: præstet TE GUSTAVIS CAROLISqve parem! Servet Illustrissimos TUOS

OS Reniqve TUI *Senatores!* Servet universum Regnum TUUM omnesqve vasti hujus Regni provincias inter pacis studia auctoritate, literis, opibus armisqve florentes! *Servet* Ecclesiam *Svecicam*, qvam digniſſimo nomine *religionis veræ atqve fidei intemeratæ ſedem* dudum noſtrates Theologi cum gratulatione qvadam vocarunt. Hæc TVIS etiam auſpiciis floreat, floreat religio, pietas, juſtitia, fides. *Supplicibus hoc precibus* à ſupremo Numine contendit.

REGIÆ TUÆ MAJE-
STATI

obſequio humillimo cultuve
devotiſſimus

GEORGIUS FRIDERICUS STIEBER,
Spira Nemet.

DISSER-

DISSERTATIONIS ARGUMENTUM.

PRÆLOQVIUM. pag. 1.

PARS PRIOR.

Dictum Paulinum 1. Cor. XIII. 12. explicat, pag. 4.

§. 1. Scopum dicti Paulini exponit. *pag. 4.*

§. 2. & 3. Exegesin ejus exhibet. *pag. 10. 21.*

PARS ALTERA

De Theologia Ænigmatica, ejusque indole & causis observationes quasdam exhibet. pag. 24.

§. 1. Docet Theologiam esse. *pag. 24.*

§. 2. Eamque esse ænigmaticam. *pag. 25.*

§. 3. Cautelas Pontificiis & Indifferentistis opponit. *pag. 26.*

§. 4. Discrimen Theologiæ patriæ & viatorum simili illustratur. *pag. 29.*

§. 5. Systematica Theologia suo modo dici potest ænigmatica. *pag. 31.*

§. 6. Theologia Mosis ænigmatica est. *pag. 40.*

§. 7. Theologia Prophetarum ut cum maxime ænigmatica est. *pag. 41.*

§. 8. Nec non in N. T. Theologiæ ænigmaticæ vestigia occurrunt. *pag. 49.*

§. 9. Cautela additur de sensu literali & mystico. *pag. 52.*

§. 10.

§. 10. De Theologia allegorica ejus usu & abusu qvædam monentur. *pag.* 55.

§. 11. 12. Causas Theologiæ ænigmaticæ exponunt, tum spurias, *pag.* 64. tum veras. *pag.* 71.

§. 13. De interpretandi ratione & Doctoribus Judæorum, qvi Theologiam ænigmaticam exposuerunt, qvædam monentur. *pag.* 81.

§. 14. & 15. Usus hujus Dissertationis monstratur. *pag.* 85. 89.



I. N. J.

DISSERTATIONIS PRÆFATIO.

§. 1.

Existentis Numinis Divini argumentum sibi qvisqve est mortalium. Ex spiritu & corpore constat homo Non jam corporis humani admiranda demonstrabo, cujus si aptam membrorum compagem, si venarum meatus, si nervorum vincula consideret inconsulta Atheorum temeritas, vel invitis saniora svaderet utilissima hæc consideratio. Conf. Illustris in Arte Medica VIRI D. HOFFMANNI de Atheo convincendo ex artificiosissima machinæ humanæ structura Oratio. Mentis nostræ tantum indolem ejusqve præcipuam facultatem, Intellectum scilicet commemorabo, cujus admiranda & abscondita ratio tanta est, ut licet intelligas, intellectu tamen difficile sit, qva ratione illud fiat. Quodsi oculorum anatome intuentes fere obstupefacit, hoc enim organo qvæ exterius fiunt, percipimus; multo magis mentis consideratio, cujus oculus intellectus est: qvi qva ratione singula percipiat, vix satis explicari potest. Acute tamen subtilis ille, licet cunctis haud ubique probatus Theologis, Medicus D. SEB. WIRDIG, insigne qvondam Academiæ Rostochiensis decus, in pererudito illustri Regiæ Societati Anglicanæ dedicato libello, Nova Medicina Spirituum curiosa inscripto, de percipiendi modo disputat, remqve alioqvin difficilem ob-

servationibus suis passim illustrat. Libro præsertim primo, Cap. XXIV. *de Ideis*, & Cap. XXV. *de eruditione brevibus differens. Digna vero maxime sunt Autoris verba quæ legantur, ideoque transcribenda*: Nil scimus §. 11. 12. *inqvit*, nisi ideas, qvas per sensus externos spiritibus nostris impressimus: Hinc multiscientia est ex idearum multitudine. Rerum ideæ sunt qvasi irides aut iridum colores; sicut enim in nubem fœcundam aut aërem diversi iridum colores naturaliter & artificialiter possunt projici: ita in unam animam & Spiritum, infinitæ rerum ideæ, & hæ ideæ sunt nostra scientia. Sicut ideæ iridum è nubibus evanescunt, iterumqve apparent, ita impressis rerum ideis obliviscimur, iterumqve in memoriam easdem revocamus. Sicut in camera obscura per vitrum, hominum extra ambulantium & rerum externarum ideæ vivis coloribus pinguntur: eodem etiam modo & per oculos, rerum qvarumcunqve ideæ spiritibus imprimuntur. Sicut speculo, aqvæ, rerum imagines; ita spiritibus lucidis & humidis externa objecta per qvinqve sensus. Non tantum autem spiritibus, sed una etiam animæ rationali. *Qvot vero in mente nostra Opificis supremi ejusqve sapientiæ gratissima elucent vestigia, tot etiam tristissima corruptæ naturæ apparent signa. Qvante est intellectus humani imbecillitas? qvantæ tenebræ? adeo ut res spirituales atqve immateriales*

teriales sub notionibus & conceptibus corporeis & materialibus proponere nobis quandoque debamus. Quare ut doctior quisque fuit, ita ignorantiam liberius fassus, exclamavit: quantum est quod nescimus! *Symboli loco alii libris suis præscribere soliti sunt:* Quid sumus? quid scimus? *Hanc intellectus nostri imbecillitatem agnovere Philosophi, agnovere Theologi, atque inter hos præsertim viri à DEO inspirati Apostoli, & Apostolorum facile princeps Paulus, qui ut sciolorum inter Corinthios arrogantiam atque scientiæ fastum reprimeret, in rerum sacrarum cognitione pueros nos esse docet, si nostram divinarum rerum notitiam conferre velimus cum ea, quâ faturo seculo imbuti erimus. Priori enim ad Corinthios Epistola* Cap. XIII. 12. *hæc monet:*

Videmus nunc per speculum in ænigmate; tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte: tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum. Ita *Vulgata*; *sed* BEZA *vertit:*

Cernimus enim nunc per speculum & per ænigma, tunc autem coram cernemus: nunc cognosco ex parte, tunc vero cognoscam, prout cognitus fuero.

Græcè ita leguntur.

Βλέπομεν γὰρ ἄρτι δι' ἐσόπτρου ἐν αἰνίγματι, τότε δὲ πρόσωπον πρὸς πρόσωπον· ἄρτι γινώσκω ἐκ μέρους, τότε δὲ ἐπιγνώσομαι καθὼς καὶ ἐπεγνώσθην.

LUTHERUS ſcite vertit:

Wir ſehen jetzt durch einen Spiegel in einem dunckeln Wort, denn aber von Angeſicht zu Angeſichte. Jetzt erkenne ichs ſtückweiſe, denn aber werde ichs erkennen, gleich wie ich erkennet bin.

Dictum hoc Paulinum brevibus nobis explicandum erit, qvod eô, velut fundamento omnis Diſſertationis noſtræ vis innititur. Alii jam alias ex illo hauſerunt meditationes. Tubingæ enim anno 1666 *de Viſione DEI*, D. JOH. ADAM OSIANDER; anno rurſus 1686 Kiloni, eodem fere titulo *de Viſione DEI beatifica*, D. CHRISTIANVS KORTHOLD, ex hoc Pauli oraculo diſſeruerunt. Nos vero inde occaſionem ſumamus diſſerendi de indole Theologiæ, qvæ hujus vitæ eſt, ſive, juxta Pauli dictum.

De

THEOLOGIA ÆNIGMATICA.

Faxit DEVS feliciter! Secundet conatus noſtros Spiritus veritatis per Dominum noſtrum JESUM CHRISTUM! Amen!

PARS PRIOR.

Dictum Paulinum brevibus explicans.

§. I. Apud Corinthios, chariſmatum gloriâ præter verum horum finem atqve Spiritus S. mentem, inſolenter nimis ſeſe efferentes,

tes, ut inanem scientiæ fastum cohiberet divus Apostolus, necessum fuit, qvam tenuis sit, etiam de rebus sacris cognitionis nostræ modiolus, qvam imperfecta notitia, qvæve adeo Theologiæ nostratis sit indoles, explicare. Hoc fine itaqve ad Corinthios sibi nimium qvantum placentes, sicut reliqva hujus Capitis decimi tertii, ita hæc qvoqve scripsit: *Cernimus nunc per speculum & per anigma, tunc autem coram cernemus: nunc cognosco ex parte, tunc vero cognoscam, sicut cognitus fuero.* Licet enim Corinthii à Paulo ad fidem CHRISTI conversi erant, nondum tamen prorsus Adamum, hoc est indolem veterem exuerant, ad gloriam, aliaqve ex Civitatis suæ splendore atqve consvetudine nascentia vitia proclives. Fuit enim *Corinthus* olim *Ephira* & *Heliopolis* dicta, hodie *Coranda*, Turcis vero *Gerome*, urbium qvondam splendidissima opulentissimaqve, adeoqve non Achajæ, qvæ nunc *Moria*, solum caput, sed & *Græciæ decus atqve lumen* dicta. Nominis gloriam & divitias superbia comitari solet, qvam PLUTARCHUS in Corinthiis eximiam notavit: qvæ sane, cum eos ad contemptum usqve Romani imperii inflasset, excidium eis attulit, victore Mummio; sed restitutâ per Julium Cæsarem urbe, ut STRABO notat, & in fragmentis DIODORUS SICULUS, brevissime ut opulentia, ita & vitia illa rediere.

Philosophiæ ibi studia ab antiqvo floruere, Periandro ejus urbis Principe inter septem Græciæ sapientes annumerato. Qvæ verba sunt GROTII *in præloqvio ad priorem Pauli ad Corinthios epistolam.* Cum igitur non in locis desertis, sed celebrioribus civitatibus ac emporiis, præsertim maritimis, Evangelium prædicare gauderent Apostoli, non vanitatis & gloriæ, sed latius disseminandi Evangelii studio accensi, etiam Corinthum abiit Paulus, sevit ibi Christianismi semina, Christoqve multos ex gentilibus conciliavit atqve in societatem Ecclesiæ adduxit, commentitios Græcorum Deos doctrina cœlesti evertens, atqve inolita gentis vitia disciplina Christiana corrigens. Magni vero laboris opus fuit, atqve ægre hoc à Corinthiis obtineri potuit; recurrit usqve natura, & prisca hominum consvetudo subinde emergit. Hinc arrogantia, novitatis pruritus, curiositas Græcis non solum, sed pene ingeniis omnibus delicatioribus atqve civitatibus celebrioribus gratissimum vitium, nimia sapientiæ humanæ, facundiæ & lingvarum admiratio, invidia, partium studia, aliorum contemptus, dissidia, seculi amor, vanitatis humanæ affectatio, aliaqve qvamplurima excreverunt in ecclesia Corinthiaca vitia. Fidei vero sanctitas hanc non fert vitiorum atqve pravarum cupiditatum licentiam, caro cruci affigenda est,

nec

nec ullum peccatis imperium concedendum. Paulus itaqve non contentus, ad CHRISTI notitiam Corinthiorum qvosdam perveniſſe, ſed hos ut CHRISTO dignam qvoqve vivant vitam admonet, qvamobrem ſuam ad eos ſcripſit epiſtolam, qva inſita vitiorum ſemina evellere, animosqve ad rectum pietatis ſenſum revocare ſtudet: id qvod ſingula prioris hujus Epiſtolæ capita ſatis confirmant. Capite vero XII. ad concordiæ ſtudium eos exhortatus erat, qvam pene ſublatam dolebat, nimia lingvarum aliorumqve chariſmatum admiratione atqve affectatione; neglecto pietatis & dilectionis mutuæ ſtudio. Magis enim ſuſpiciebant *dona adminiſtrantia qvam ſanctificantia*, ut in Scholis bene diſtingvi vocariqve ſolent: donum miracula faciendi, ſcientiæ opinio atqve fama, ſtaturæ, oris atqve orationis commendatio, eloqventia, lingvarum multarum uſus, virtus heroica, aliaqve chariſmata erant, qvæ admirabantur Corinthii, qvibus ſtudebant etiam non ſine aliorum contemptu atqve zelo impio; humilitatis vero & concordiæ ſtudium, libertatis Chriſtianæ moderatum uſum, caſtos & tranqvillos mores, ſui mundiqve contemptum, ſanctiorem diſciplinam atqve cupiditatum carnis oppreſſionem aliaqve pietatis & dilectionis exercitia negligebant. Ita fieri vulgo ſolet, magis qvæ famam,

qvam qvæ fidei morumqve sanctimoniam conciliant, suspicimus atqve admiramur: innocentiâ vitæ non æqve qvam charismatum gloria capiuntur miseri mortales: malunt enim scientiæ famam, qvam usum; fidei doctrinam, qvam exercitium; religionis deniqve speciem, qvam verum ejus sensum atqve praxin. Aliter animatos esse decet Christianos, talis enim mens, talis sensus raro cœlesti sapientiæ locum relinqvit. Divina lex est atqve regula, qvam tradit Jacobus *Cap. III.* 13 *seq. Qvis sapiens & scientia præditus inter vos? demonstret ex bona conversatione opera sua, cum mansvetudine sapientiæ. Qvodsi invidiam amaram habetis & irritationem in corde vestro, ne gloriemini, & ne mendaces estote adversus veritatem. Non enim ista sapientia supernè descendens, sed terrena, animalis, dæmoniaca. Ubi enim invidia est & rixa, ibi tumultuatio & omne opus pravum. Qvæ autem superne est sapientia, primum qvidem casta est, deinde pacifica, moderata, obsequens, plena misericordiæ & fructuum bonorum, absqve disceptatione & simulatione. Fructus autem justitiæ seritur cum pace iis, qvi dant operam paci.* Hunc sensum suis ut Corinthiis inspiraret Paulus, *Capite hoc XIII.* egit; qvo non tam *antithesin charismatum seu donorum administrantium & sanctificantium* (utrorumqve enim pius animus divina gratiâ capax est) instituit, qvam potius

sancti-

ſanctificantium donorum, dilectionis potiſſimum præſtantiam ſignificat, docetqve, caritatem reliqvis donis cariorem eſſe, adeoqve alia chariſmata, ſcientiam, fidem miraculoſam, eloqventiam, lingvarum exoticarum uſum aliaqve facta pene heroica, qvibus obſtupeſcimus, longe antecellere, ut patet ex ultimi *Capitis XII. verſu*, atqve *Capitis XIII. verſu* 1. 2. 3. Deinde caritatis *eximiam formam* monſtrat, eamqve Corinthiis (formæ alias atqve amorum haud negligentibus) hactenus neglectam commendabilem reddit atqve gratam: qvam vivis pingit coloribus, & mores ſvaves inſigni charactere deſcribit *verſ.* 4. 5. 6. 7. adeo, ut qvi formam ejus penitus conſpexerit, eâ capiatur, tum ob gratiam ejus inſignem, tum etiam utilitatem. *Scientia enim inflat, caritas vero adificat*, 1 *Cor. VIII.* 1. Caritas enim iram cohibet, benigna eſt, non invidet, non agit perperam, non inflatur, non indecore agit, non qværit qvæ ſua ſunt, non exacerbatur, non cogitat malum, non gaudet injuſtitia, gratulatur autem veritati: Suffert omnia, omnia credit, omnia ſperat, omnia tolerat. Tantus eſt in omni vitæ genere caritatis uſus! ſed qvi vel eruditionis Theologicæ opinione vel chariſmatum gloriâ inflati turgent, atqve charitatis officia negligunt, communiter nocent, cum prodeſſe debeant. Formæ vero atqve morum elegantiæ,

gantiæ, qvâ caritatem commendat Corinthiis Paulus, *dignitatem* qvoqve ejus addit, qvâ lingvarum & rerum sacrarum scientiam longe antecellit, *tum* qvia scientia nostra, lingvarum usus, omnis deniqve eruditio Theologica, qvalis nunc est, cessabit, *vers.* 8. *tum* etiam, qvia hæc ipsa scientia nostra in hac vita est admodum imperfecta, qvâ nemo prudens perfectionis appetens inflari adeo possit. Dicit enim, aliqvatenus sive ex parte tantum cognoscimus, ex parte etiam prophetamus, *vers.* 9. Qvin ut eo magis fastum Corinthiorum qvorundam atqve nimiam scientiæ ac eruditionis admirationem cohiberet, rem simili illustrat admodum appositio, atqve à pueris desumto, qvi levi qvadam re inflantur, *v.* 11. Tandem vero indolem cognitionis nostræ Theologicæ explicat. *Cernimus nunc* inqviens, *per speculum & per anigma, tunc autem coram cernemus: nunc cognosco ex parte, tunc vero cegnoscam prout cognitus fuero, vers.* 12.

§. II. Hoc dicto non solum *qvalis*, sed qvam *imperfecta* sit cognitio nostra Theologica docetur; adeoqve duo habet membra, *altero* in genere de omnibus dicit Paulus, videmus nunc per speculum in ænigmate: *altero* vero de se ipso enunciat, jam cognosco ex parte. Non vero simpliciter hæc dici, sed comparate, ipsa in utroqve membro hujus & futuri seculi oppositio, adeoqve parti-

particulæ ἄρτι, τότε satis demonstrant. Nunc prior dicti propositio explicanda erit, qvæ hæc est; βλέπομεν γὰρ ἄρτι δι' ἐσόπτρου ἐν αἰνίγματι, τότε δὲ πρόσωπον πρὸς πρόσωπον. Harum vocum singulæ sunt expendendæ; qvarum prima est, βλέπομεν. Metaphora utitur Paulus, cum *vers. 9.* clarius dixisset γινώσκομεν. Cognoscere enim intellectus est, videre vero oculorum. Metaphora autem hæc minus commoda videri posset; Theologia enim & fides non versatur circa res, qvæ videri possunt, vel juxta regulas mathematicas ad oculum demonstrari, sed circa res invisibiles, atqve extra conspectum positas, & à ratione & sensu remotas, ut adeo, qvi in Theologia βλέπειν, videre semper velint, male agant: qvales CHRISTUS corripit, dicendo: *Qvia vidisti me Thoma, credidisti; beati qvi non viderunt, & tamen credidederunt, Joh. XX. 29.* Qvo loco videre & credere opponuntur. Paulus vero non sine causa hac utitur metaphora. (1) Non solum enim usitatissimum omnibus scriptoribus *videre* ponere pro *cognoscere*: nam qvæ videmus, suo modo cognoscimus: ut enim oculi corporis lumen sunt, ita intellectus mentis: qvi vero, qvoniam obscuratus est, majus lumen reqvirit, fidei scilicet mentis illuminatæ oculum; (2) sed etiam singula-

rem

rem emphasin hæc metaphora habet, certitudinem Scientiæ Theologicæ indicans. Non enim Paulus loqvitur de Atheorum ac profanorum notitia qvacunqve Theologica, vaga, dubia, sed de sua aliorumqve fidelium, qvæ certissima est, accurata, qvâ conscientia convicta acqviescit, qvâve adeo certe mysteria divina credimus, acsi oculis hisce nostris ea cernere liceret, *Hebr. XI.* 27. Eqvidem DEUM non videmus, nec vidimus CHRISTVM carne indutum, nec ejus afflictiones, nec mortem, nec resurrectionem, neqve alia ejus miracula, 1 *Petr. I.* 8. sed tamen ea omnia adeo perspicue in Scriptura sunt descripta, ut coram qvasi cuncta cernere possis. *Gal. IV.* 1. Talis sit fides Christianorum, qvalis nisi fuisset, nunqvam martyres præsentia, qvæ cernebant, spernere, futura, & invisibilia appetere, atqve tot cruciatus sustinere potuissent. (3) Qvin etiam Paulus hac utitur voce ad designandum modum acqvirendæ cognitionis Theologicæ. Qvæ enim de rebus divinis novimus vel audiendo, *Rom. X.* 14. vel legendo *Actor. VIII.* 30. didicimus. Externis sensibus, adeoqve oculis atqve auribus opus est. Neqve enim per enthusiasmum rerum sacrarum notitia nobis inspiratur, sed per literas & syllabas, qvas in S. Bibliis inspicere atqve discere opus est. Ut vani adeo sint, qvi literalem cognitionem, cateche-

catecheticas institutiones, systemata & externum canonem alto supercilio fastidiunt; qvorum nenias solide cum aliis magni nominis Theologis dudum refutavit B. D. FECHTIVS *in Diss. de Forma Catecheseos Paulinæ* ut & *de Studii Biblici cum Systematico connexione, hujusqve divina origine*; Nec non Magnificus & Generosissimus DN. PRÆSES in pia æqve ac erudita *de Theologia Experimentali* Oratione. Nec enim turgidi isti fanatici, qvi nil nisi spiritum crepant, (sed qvalem? 2. *Thess. II.* 2.) sine literis sapiunt, si qvid sapiunt. Insignis sane divini Numinis est providentia, qvod mysteria divina atqve fidei canonem non per incertas traditiones, aut enthusiasticas visiones, sed per literas expressum in Ecclesia conservare voluit. Et forte eam ob causam DEVS Ecclesiam scribendi mysterium per Mosen docuit. Literæ atqve typographia etiam multum in Reformationis negotio Ecclesiæ profuerunt. Merito itaqve Paulus inqvit βλέπομεν atq; postea γινώσκω, cognitio enim per visum atqve lectionem Sacrarum literarum freqventem piamqve acqviritur. Addit vero divinus Apostolus, γὰρ, enim, dann; in Versione LUTHERI Germanica æqve ac in Versione Germanica Pontificiorum, qvæ Casparis ULENBERGII est, atqve in Bibliis Pentaplis Germanicis extat, nec non in Vulgata Latina omittitur. De qva particula h. l.

prolixe

prolixe disserendum haud est; orationis nexum significat, de qvo jam antea disserui. Seqvitur in Textu ἄρτι, nunc, jetzt; qvæ particula, ut & seqvens τότε, satis ostendunt, PAULUM *h. l.* cognitionem Theologicam hujus & futuri seculi opponere, ut ex oppositis eo clarius discrimen appareat. Qvia vero dicit ἄρτι, non de Cognitione Theologica, qvalis in *statu Institutionis* (ut loqvi amant) sive ante lapsum fuit, sed qvalis post lapsum est, adeoqve in *statu Restitutionis*; qva opus fuit, ut DEUS post amissam imaginem, (cujus pars primaria erat vera DEI cognitio) voluntatem suam atqve mysteria revelaret. Designat igitur vox ἄρτι omnem illam temporis periodum inde ab Adamo ad finem usqve seculi, adeoqve tempus Veteris & Novi Testamenti, licet hoc clarior lux ecclesiæ affulserit; de suo enim tempore dicit Paulus ἄρτι, *nunc*. Addit δι ἐσόπτρου; Omnes pene Versiones Germanicæ durch einen Spiegel. Batavica, want wy sien nu voor eenen Spiegel. Gallicarum Versionum qvædam habent *par un miroir*, qvædam vero *en un miroir*. In speculo. Et B. CALOVIUS *in Bibl. Illustr. ad h. l.* monet, particulam in verbis δι ἐσόπτρου IN significare. Atqve ita etiam BEZA *in Notis ad h. l.* Speculum qvod intueri dicimur, varium est atqve à B. GERHARDO *in Loc.*

Loc. Theol. di vita eterna, §. 134. triplex statuitur. (1) *Naturale* sive mundus visibilis omnesqve in eo res creatæ, ex qvarum varietate, forma, usu, gratia & ordine, divini Numinis bonitas, potentia, sapientia & reliqva attributa tanqvã in speculo qvodam relucent, qvæ licet ἀόρατα sint, per orbis aspectabilis contemplationem tamen fiunt νοούμενα, *Rom. I.* 20. (2) Est præterea speculum aliqvod *symbolare*, qvando DEUS sanctis se in V. T. per Symbola qvædam sive figuras & imagines externas patefecit, *Gen. XXXII.* 23. *Es. VI.* 3. *&c.* (3) Speculum vero *Verbale seu Scripturæ* præstantissimum est, de qvo h. l. potissimum sermo. Sicut enim speculum hominis faciem omniaqve ejus lineamenta repræsentat, ita speculum verbi purissimum & perspicuum DEI gloriam atqve faciem, h. e. essentiam ejus, attributa, voluntatem atqve beneficia conspicienda nobis offert. Speculum vero verbi duplex est, *Legis*, qvo faciem nostram admodum deformem, sive ut Jacobus *Cap. I.* 23. loqvitur τὸ πρόσωπον τῆς γενέσεως ἡμῶν, velut ἐν ἐσόπτρῳ cernimus: *Evangelii* vero speculum clarissimum Patris cælestis gratiam atqve CHRISTI Servatoris nostri dulcissimi faciem, personam, naturas, status, officia, mores blandissimos atqve beneficia exacte repræsentat, *2. Cor. III.* 18. conf.

erudi-

eruditissimam Magnifici Superint. General. Saxon. DN. D. WERNSDORFII. Differt. *de Matamorphosi Christiana* § *VIII.* Curatius vero inqvirendum, qvis dicti nostri sit sensus; qvando enim Paulus inqvit, videmus nunc *per speculum*, obscuriorem esse vitæ hujus cognitionem nostram asserit. Rationes B. GERHARDUS *Loc. Theol. de Vita æt.* §. 135. scitè explicat: Dicit enim, in speculo nos non ipsas res corporeas, qvales in sua natura existunt, sed earum duntaxat εἴδωλα & imagines intuemur, ideoqve res illas imperfecte adspicimus; sic rerumcæleſtium qvasi qvasdam imagines *in speculo & ænigmate* sive involucro qvodam videmus, res autem ipsas nondum coram intuemur. Qvando imaginem in speculo intueor, tunc res illa, cujus imago in speculo mihi offertur, non est faciei directe objecta, sed à tergo posita: ita qvoqve in hac vita *per speculum verbi & creaturarum* DEUM videntes, non faciem, sed tergum & posteriora DEI videmus, *Exod. XXXIII.* 23. sed in vita æterna coram ipsum, seu à facie ad faciem intuebimur. Hæc ille; atqve hoc modo ut CALOVIUS ex B. Glassii Grammatica S. ad h. l. observavit. rectius *in speculo*, qvam *per speculum* Græca verti deberent. Sed sunt etiam, qvi ἔσοπτρον non speculum, sed vitrum aliud pellucidum, qvale est speculum oculare vel perspicillum, hoc loco significare autumant.

mant. Ita B. GERHARDVS *l. c.* Qvidam δι ἐσόπτρε vertunt *per inſpectorium*, ἔσοπτρον enim eſt id, qvod inſpicimus, qvaſi medium alicujus rei videndæ, qvalia ſunt *perſpicilla*, *ſpeculum oculare*, ſive vitrum viride, qvod ſcripturæ ſuperponitur; tale ſpeculum facit rem videri non immediate, ſed per medium obſcurum. Qvidam δι ἐσόπτρε vertunt *per cancellos*, *per tranſennam*, ſicut mercatores per cancellos vimineos merces tranſeuntibus oſtendunt. Confer etiam *Relat. Innoc. anni* 1717. *pag.* 440, qvo loco ex Theophili ALETHÆI Unterſuchung der dunckeln Oerter A. und N. Teſt. ad hoc noſtrum Pauli dictum, 1 *Cor. XIII.* 12. obſervatur, ἔσοπτρον ſey ein hell-polirtes durchſcheinend Glaß. Paulus vero cognitionis noſtræ Theologicæ modum deſcripturus, addit ſimul ἐν αἰνίγμαϛι LUTHERUS in einem tunckeln Wort. Verſio Reformatorum Piſcatoris, in einem Räthſel, ita etiam Ulenbergii Pontificii atqve aliorum: Batavica, in een duyſtere Rede. Gallicæ verſiones partim Græcum vocabulum retinentes vertunt *en des enigmes*, partim vero adverbialiter, *obſcurement*, non male ſenſum verborum Pauli exprimentes, at vero CASTELLIO vertit: *per ambages*. *Latina vulgata* & ERASMUS reddunt *in ænigmate*, Beza non ſolum particulam & addit, ſed & *per ænigma*

vertit, qvi in Notis ad h. l. hæc monet: *Ego male ἐν pro διὰ positum esse ex Hebraorum idiotismo. Theodoritus autem legit*; καὶ ἐν αἰνίγμασι *& per ænigma: qvam lectionem maxime sinceram esse puto. Videtur autem non una, sed duplex esse translatio: una videlicet sumpta ab iis qvæ externis oculorum sensibus, altera ab iis, qvæ ipsa intelligentiæ facultate usurpantur. Ænigma enim dicitur oratio obscura & qvasi involucris qvibusdam obtecta. Oratio porro in oculos non incurrit, sed menti objicitur: ut Paulus fortassis mysteria speculis, verbi prædicationem ænigmati comparavit.* Αἴνιγμα enim sermonem obscurum significat, vel etiam occultam rei alicujus significationem; derivatur à voce αἰνίσσομαι, obscure significo, occulte innuo, involucro qvodam verborum significo, alludo ad aliqvid. αἴνιγμα etiam à Latinis ænigma vocatur, & sunt qvi *scirpum* interpretantur, (per translationem vero olim *sirpi* vel *scirpi* dicebantur obscuræ & captiosæ qvæstiones, sive ænigmata ut GELLIUS observat *Lib. XII. Cap. VI.*) Non male periphrastice *Ambages verborum* exponeremus (qvæ observatio favet versioni Castellionis, qvam vero ut ineptam rejicit Beza) aut *verborum involucra.* QVINTILIANVS *Lib. 8. Cap. 6. allegoriam obscuriorem* ait *dici ænigma*, ut monet STEPHANVS in aureo suo *Græca Linguæ Thesauro fol.* 172.

Cujus-

Cujusmodi ænigma Sphingis fuisse fingunt de bipede, tripede eodemqve qvadrupede. Eqvidem CLEARCHUS ænigma definit *qvæstionem ludieram* πρόβλημα παιγνικὸν, προσαγωγικὸν τῆ διὰ ζητήσεως εὑρεῖν τῆ διανοίᾳ τὸ προβληθὲν, τιμῆς ἢ ἐπιζημίᾳ χάριν εἰρημένον. Proinde *Polluci* ænigmata κυλίκεια ζητήματα vocantur, eo, qvod inter pocula proponerentur: qvorum hæc conditio, ut solvens aufferret carnis portionem, ignorans exhauriret potionem muriâ mixtam. Vid. FABRI *Thesaur. Erud. Schol.* voce *Ænigma*. Qvale ferè etiam fuit tritum illud Simsonis. At vero ænigmata in Sacris atqve cultu divino apud Ægyptios præsertim adhibita fuisse, Parte II. prolixius demonstratum ibimus. PLUTARCHUS autor est de Iside & Osiride, Ægyptios ante templa collocare sphingas consveviſſe, innuentes, suam de sacris rebus doctrinam perplexam esse & sub involucris latente sapientia constare. Conf. *Thes. Fabri voce Sphinx*. Observandum vero etiam apud *Prudentium* vocabulum hoc sæpius significare *imaginem* sive *figuram*. Sic hymno X. Cathemerinon *p. m.* 41. *edit. Heinsiana*,

* * * * * * reqviret
Sua munera victor & auctor,
Propriiqve *anigmata* vultus.

Et hymno Peristephan. *v.* 118. legas etiam *argentea anigmata*, pro nummis scilicet notis

& imaginibus scriptis. Qvæ significatio, si in dicto Paulino locum obtinere posset, atqve ἔσοπτρον non tam speculum, qvam vitrum aliqvod pellucidum significaret, perspicua esset hæc Pauli dictio atqve similitudo sive metaphora, qvæ sane alias difficilis est & obscurior, speculum simul & ænigmata jungens; Sumpta enim foret apta hæc translatio à *Camera obscura* (ut vulgo vocant) qvâ imagines rerum per vitrum pellucens arteqve politum repræsentantur: qvo modo etiam in intellectu nostro post lapsum admodum tenebricoso, (2 *Petr. II.* 19) rerum divinarum seu imagines atqve ideæ per vitrum verbi pellucidum exhibentur. Hanc vero non adeo defendimus sententiam, sed judicio lectoris relinqvimus. Nihil autem habet analogiæ fidei adversum. Hactenus Paulus modum cognitionis nostræ Theologicæ, qvalis sit in vitæ hujus periodo, exposuit, opponit jam illustriorem futuri seculi cognitionem, dicens: τότε δὲ πρόσωπον πρὸς πρόσωπον. Hac phrasi describit Theologiam *patriæ* & *beatorum*, τότε vero inqviens, multum nos in hujus vitæ periodo à futuri seculi perfectione abesse ostendit: ut inepti sint, qvi nescio qvam jam in hac vita sibi fingant perfectionem, qvales olim fuerunt Gnostici, atqve aliis seculis alii. In vita cœlesti demum beati cognoscent DEUM perfecte

perfecte atqve videbunt πρόσωπον πρὸς πρόσωπον: hanc phrasin Germanicæ versiones ad verbum reddunt von Angesicht zu Angesicht, sic & Galli *face à face*, vel etiam monente Beza, qvi *coram* vertit, *vis à vis* exprimi posset. Sumpta hæc sunt ex *Num. XII.* 6. 7. 8. ubi Moses aliis Prophetis præfertur, eo qvod non per figuras adumbrantes, sed apertis indiciis velut per amici colloqvium sibi facienda & futura alia intelligeret. Multo autem majus olim discrimen erit inter cognitionem qvam habuit Moses & cognitionem futuri ævi, qvam tunc fuit inter Mosen & Prophetas alios, bene GROTIO ad h. l. observante. In hac vita DEUS cognoscitur *per famam*, etiam inter gentes: cognoscitur in Ecclesia *per literas* Scripturæ atqve *imaginem* in Scriptura expressam; sicuti inter Principes personas mos est, ut desponsati mutuo sibi sui imaginem mittant, ut per imagines cognoscant & adament, qvorum amore coram nondum frui licet. Ita dono dedit DEUS Ecclesiæ sponsæ sui imaginem in S. Scriptura. In altera vero vita coram gratam ejus majestatem & gloriam intuebimur eaqve fruemur.

§. III. Pergit Paulus atqve in altero dicti hujus membro, imperfectam esse cognitionem nostram Theologicam, asserit. Dicit enim ἀρτι γινώσκω ἐκ μέρους. Pari modo *vers.* 9. dixerat ἐκ μέρους γινώσκομεν, καὶ ἐκ μέρους

προφητεύομεν. Abutuntur hoc dicto hodie Sceptici, incertam clamantes esse doctrinam Theologicam. Eodem etiam jam olim abusi sunt Fanatici, Anabaptistæ aliiqve Libertini, qvidlibet sentiendi in Ecclesiam inducentes licentiam. Cogitent vero isti, ab Apostolo plenioris revelationis tempus in futurum seculum differri, non vero scientiam cum scientia, ut res natura & reipsa diversas, sed unius & ejusdem scientiæ adipiscendæ modos prorsus diversos & impares ab Apostolo inter se conferri, qvod jam alii observarunt. Neqve tamen negamus, his verbis Paulum sciolorum inter Corinthios fastum comprimere, ut qvalis ipsorum scientia esset, scirent. Qvid enim lingvarum donum aliud est, qvam balbuties hujus vitæ? Et sapientia hujus vitæ, qvam pueriles nuces? Et vis colligendi Dialectica (ut infans ἐλογιζόμεν:) nervosum qviddam & splendidum videtur; sed puerilis est illa Dialectica: Eqvitant in arundine longa. Qvæ rectissime dicta ex ARETIO B. CALOVIVS refert *in Bibl. Illustr. ad 1 Cor. XIII.* 12. Observandum vero, Paulum non in genere loqvi de Corinthiis vel forte iis, qvi rudiores adhuc erant, ut ante dixerat βλέπομεν, sed adeo de se Apostolatus munere jam per multos annos functo: γινώσκω. Qvæ cum de se ingenue fateatur Paulus, qvantus Apostolus! qvid cæteri efferant

rant se scientiæ vel eruditionis Theologicæ opinione? Opponit rursus futuri seculi perfectiorem cognitionem dicendo: τότε δὲ ἐπιγνώσομαι καθὼς καὶ ἐπεγνώσθην. Conspirant versiones Germanicæ, nisi qvod J. H. REIZIUS in recentiori versione addat **als denn werde ichs innerlich erkennen.** Qvasi vero ulla cognitio extra hominem esset, sane omnis cognitio interna est. Sed mittamus hæc: neqve enim negamus ἐπιγινώσκειν plus esse qvam γινώσκειν: ἐπὶ enim auget: ut adeo hæc ipsa vox perfectiorem cognitionem significet. Sunt qvi h. l. καθὼς *causaliter* explicant, *qvia* à DEO cognitus sum. Sed CALOVIUS bene observat, Paulum hic versari in explicando *modo*: A qva propria significatione recedendum non est. Sicut itaqve DEUS nos perfectissime agnoscit; ita nos vicissim cognoscemus DEUM perfecte, ille qvidem perfectione divina & infinita, nos vero non infinita, sed finita, perfecta tamen omni ex parte. Qvomodo vero DEUS nos cognoscat, & qvalis futura adeo sit nostra cognitio, exacte nondum in vitæ hujus imbecillitate definire licet, *Psalm.* CXXXIX. 6. Qvare tacere rectius puto qvam multa dicere. Sufficiant itaqve hæc brevibus explicasse, plura qvi desiderat Interpretum Commentarios prolixiores, qvi passim exstant, consulat.

PARS ALTERA.

De THEOLOGIA ÆNIGMATICA,

Ejus Indole Cauſisqve Obſervationes qvasdam exhibens.

§. I. Pergimus jam ad alterum Diſſertationis noſtræ caput; qvo de Theologia Chriſtianorum Ænigmatica ejusqve indole ac cauſis agendum erit. Prius vero qvam *qvalis* hæc ſit Theologia? declarem, *Exiſtentia* ejus demonſtranda eſt; ne de re, qvæ non exiſtit, inepte diſputemus. At vero de hoc argumento non adeo ſolitici eſſe debemus, cum qvàm verè DEUS eſt, eſſe etiam Theologiam, inter omnes conſtet. Sane Theologiam qvi negat, DEUM ſimul neget, neceſſe eſt; hunc vero qvi aſſerit, & illam ſimul admittat, Naturæ qvadem lege obligatur. Qvemadmodum vero nulla gens tam barara, nulla tam vecors, qvin DEUM eſſe cognoſcat, licet qvis verus ille DEUS ſit, natura ignoretur, & ineptiſſime idola pro Dîs habeantur; ita *Theologiam eſſe* communi gentium conſenſu conſtat: licet qvænam vera illa ſit, in tanta opinionum varietate atqve naturæ tenebris indagari demum debeat. Profani proinde illi, qvi ſtudium Theologicum faſtidiunt, omnemqve rident Theologiam, vel inter Chriſtianos Athei, gentilibus

bus pejores sunt, atqve contra ipsam hominis Naturam peccant. Naturæ enim lex est; *DEUS est*; *DEUM colito*; qvem si colendum asseris, Theologiam simul statuis, ea enim est omnis cultus divini fundamentum. Gentium hinc qvæqve natio suos habuit Theologos, suam etiam Theologiam. *Theologorum* inter Romanos meminit Cicero, *Theologica* vero *doctrina* Ammianus Marcellinus. Qvæ vero ejus fuerit indoles atqve origo? qvi Romanorum libri Theologici? qvove studio atqve honore Theologiam sint prosecuti gentiles, Cl. FALSTERUS *in Qvæstionibus Romanis seu Idea Historiæ Liter. Rom.* erudite docuit, libro præsertim tertio. Græcorum, Muhamedanorum, aliarumqve nationum Theologiam non attingo, qvam qvi scire cupit, scriptores, qvi de eorum antiqvitatibus atqve sacris memoriæ prodiderunt, consulat. Faceſſant hinc ejusmodi hominum commenta, sive Theologia Commentitia. nos da *Theologia Christianorum* eaqve Nostrate differimus.

§. II. Theologiam vero qvamobrem *Ænigmatica* inscribatur, curatius meditandum est. Scripturæ sane nos niti fundamento, capite priori probatum ivimus. Nec novum hoc est epitheton, non novus Theologiæ titulus. Ex nostratibus præsertim DANHAUERUM allego, qvi magnopere

allegoriis delectatus, ſcriptis ſuis Theologicis nomina ac titulos fecit, metaphorâ, ſive parabolis commendabiles: is in *Hodoſophia* ſua ſublimi juxta atqve pia eruditaqve ſæpius Theologiam vocat ænigmaticam. Sub initium libri Hodoſophiæ definitionem tradens *p. m.* 6. hæc acutá obſervat. Theologia noſtras, h. e. vera Chriſtiana, eaqve ἐκτυπος qvalis in hac vita comprehendi poteſt, eſt *ceſſabilis*, *ſpecularis à tergo*, *Symbolica*, *ÆNIGMATICA* (*hic umbra, hic imago, illic veritas; umbra in lege, imago in Evangelio, veritas in cœleſtibus, ait Ambroſius,*) *diſtincta á Theologia viſionis in patria, qvæ eſt* τȣ̃ προσώπȣ πρὸς πρόσωπον. Rurſus Phœnom. I. *p. m.* 50. ſeu qvando Scripturam Sacram claram & perſpicuam eſſe, contra Pontificios aliorumqve errores aſſerit, illico tamen *Ænigmaticam eſſe Theologiam* addit monetqve. Poſſet etiam eadem ferme ratione Theologia vocari *Allegorica*, *Hieroglyphica*, *Symbolica*, *Emblematica*, *Parabolica*: qvæ fere ſunt Synomina, qvanqvam utiqve ænigmata, parabolas, allegorias, Symbola, &c. ſuo etiam modo differre, non negem.

§. III. Eqvidem contra Pontificios eorumqve oraculum Romanm & traditiones firmiter aſſerendum eſt, Scripturam Sacram atqve Theologiam noſtratem ex iſta hauſtam, claram

claram esse atqve perspicuam, qvantum scilicet nos DEUS in hac vita de divinis mysteriis scire voluit. Bene à Theologis observatum est, ea qvæ ad fidei ac vitæ informationem pertinent, plane & perspicuè in Scriptura esse revelata. Cum his consentit orthodoxa antiqvitas, CHRYSOSTOMUS *Homil. III. in II. Thessal. Cap. II. Tom. IV. fol.* 1267. C. *Omnia*, inqvit, *clara sunt & plana ex Scripturis divinis; qvacunqve necessaria sunt, manifesta sunt.* LACTANTIUS vero *Lib. IV. Instit. Div. Cap. XXI. p. m.* 466. *edit. Cell. Num enim DEUS & mentis & vocis & linguæ artifex diserte loqvi non potest? imo vero summa providentia carere fuco voluit, ea qvæ divina sunt; ut omnes intelligerent, qvæ ipse omnibus loqvebatur.* Nihil sane in dicto Paulino 1. *Cor. XIII.* 12. præsidii habent pro asserendo errore suo Romanæ Ecclesiæ asseclæ, qvando horum nonnulli Scripturam S. *sphyngis ænigmati*, alii *Fabulis Æsopii, foliis Sibyllinis* alii, alii *Thalmudico libro & Zoroastri Magicis* comparant Neqve opinionum licentiæ modernorum nullius fidei vel religionis hominum, qvos Indifferentistas vocamus, hoc dicto Paulus privilegium ferre voluit, qvemadmodum tamen suo hoc oraculum errori prætexunt. Cum enim Theologia ænigmatica sit ipseqve Paulus ingenue fateatur *se ex parte tantum cognoscere*, Theologorum Systemata nullius esse momenti

nenti argumentantur; qvod nec scriptis suis dissimulant. Autor *Selectarum observationum Hallensium*, præsertim *P. III.* lectoribus persvadere voluit, Paulino hoc dicto omnium Systematum Theologicorum convelli fundamenta. Dignum hoc annotatu judicarunt, qvà sunt diligentia ac veritatis amore Autores celeberrimi *Relationum Innocuarum Anni MDCCVIII. Ord. X. n. XI. pag.* 647. Observant enim, der Autor dieses dritten Theils gebe vor, die Systemata Theologica stünden nicht fest, so lange der Spruch, unser Wissen ist Stückwerck, in der Bibel zu finden sey. Verum enim vero nihil hoc Apostoli dicto vel certitudini, vel autoritati Theologiæ nostræ derogatur; licet concedamus, Theologiam nostratem ænigmaticam esse atqve imperfectam; non absolute, sed si eam cum futuri seculi majori atqve clariori cognitione conferas. Ipse enim Paulus certa doctrinæ Christianæ capita, sive articulos fidei insigni ordine veluti Systemate qvodam minori, sive Catechesi Ecclesiæ traditit: qvod argumentis solidis demonstravit ex *Hebr. VI.* 1. 2. B. D. FECHTIUS in doctissima *de Forma Catecheseos Paulinæ* Dissertatione. Sane in singulis Epistolis suis Apostolus doctrinam Christianam tradit, vel traditam prolixius explicat aut confirmat. Perfectam (qvanta in hac vita reqviritur) potius & sufficientem è Scriptura

pturà tum ad fidei, tum morum informationem hauriri posse notitiam, dicto nostro Paulus asserit, inqvit enim, cernimus nunc in *speculo*. Uti enim speculum totam hominis faciem, omniaque ejus lineamenta exacte repræsentat, ita & speculum verbi divini gloriosam DEI faciem, qva essentiam, qva voluntatem, & beneficia, imprimis Servatoris nostri CHRISTI naturas, officium, status & rereliqva expremit nobisqve cognoscenda proponit, qvod dudum Theologus Illustris, D. WERNSDORFFIUS ex 2. *Cor. III.* 18. in erudita *de Metamorphosi Christiana* Dissertatione observavit. Sicuti enim Philosophorum nonnulli atqve Theologi, qvi hanc qvam vivimus vitam, mortem lentam verius qvam vitam dicendam asseruerunt, non negarunt, verè jam nos vivere, sed imperfectam vitæ hujus rationem significare voluerunt: Ita Scientia nostra Theologica ænigmatica atqve imperfecta dicitur, respectu perfectissimæ ac clarissiæ, qvæ futuri seculi est, cognotionis. Ea enim est rerum divinarum majestas, gloria & sublimitas, ut in vitæ hujus imbecillitate eam capere non possimus, ut proinde mysteria divina in Scriptura S. ad captum nostrum describi, necessum fuerit.

§. IV. Ea adeo, qvæ oculis cernimus, comprehendere satis non possumus, nisi aliqvatenus, neqve de iis, qvæ longe dissita sunt, perfectam

perfectam rerum ideam concipere licet, sed confusam tantum. Qvis enim Solis splendorem ferre, aut vastam veramqve ejus imaginem cernere potest? ei qvidem, qvi armato oculo illum curatius intuetur, ut mare qvoddam igneum apparet, sed nondum tamen veram ejus formam vel materiam oculis assequi vel animo concipere potest. Ita planetæ ac stellæ fixæ videri qvidem possunt, sed qvam exiguæ, atqve ob stupendam loci distantiam minutulæ scintillæ instar: & qvanqvam per tubum ac instrumenta seu vitra Astronomica majori forma eas contueri, variasqve earundem phases ac formas distinctas aliqvo modo observare possis, exigua tamen sunt, qvæ de tantis corporibus scimus. & qvæ videntur non sunt nisi obscura qvædam earum delineatio. Qvod si verum est de cœlestrbus, qvæ tamen in oculos sensusqve incurrunt, qvid de sublimioribus, divinis scilicet mysteriis dicendum, qvæ à sensuum ac rationis perceptione sunt remotissima? Magnopere utiqve illa orbis notitia, qvæ ex Tabulis Geographicis, universalioribus præsertim, hauritur, ab ea differt, qvam qvis multis annis orbem rerrarum peragrando omniaqve coram conspiciendo acqvisivit. Nihilominus tamen, qvi terrarum situs pingunt, breviqve orbis & regionum imaginem tabellà complectuntur, aliqvam

qvam orbis scientiam docent; qvorum si careremus industriâ, nulla omnino foret Notitia Geographica. Ita Theologi ex verbo divino rerum cœlestium qvoddam systema tradunt, ac mysteria ob intellectus imbecillitatem brevi veluti tabula delineant; cognitio tamen hæc utiqve obscura & ænigmatica est, si DEI rerumqve divinarum majestatem, sublimitatem atqve amplitudinem cogites; qvam coram & perfecta luce intuendo in futuro seculo mirabimur. Prolixe jam de insigni discrimine Cognitionis seu Visionis DEI, qvæ hujus & futuri est seculi, disserere possemus, ut magnam in molem excresceret Dissertatio hæc nostra; sed qvia in Systematibus Theologicis passim sunt disputata, nolo ea repetere, Præsertim vero in materia hac illustranda accuratus, ut solet atqve prolixus est B. D. GERHARDUS *in Locis Theol. de Vita æterna §. 133. seqq. p. m. 344. seq.* Cui nihil addimus. Præstat enim pio desiderio æterna & futura appetere, qvam curiose de iis multa disserere, qvorum tamen rationem in hac vita comprehendere satis non possumus. *Qvid qværis ut ascendat in lingvam, qvod in cor non adscendit?* argute respondit B. AUGUSTINUS iis, qvi sublimiora petulantius atqve curiose nimis inqvirebant.

§. V Cum itaqve divina mysteria ratione omniqve captu nostro majora sint, DEUS nostræ

noſtræ imbecillitati ſuccurrens, ea nobis certis qvibusdam ſymbolis, figuris & imaginibus in verbo ſuo patefecit, qvæ ſi eâ qvâ ſunt, majeſtate, & luce revelare voluiſſet, nemo mortalium vel capere, vel ferre poſſet: æqve ac nemo, ſi qvis ad ſolis orbem eveheretur, hujus æſtum ac ſplendorem ſuſtinere poſſet, ſed lucis majeſtate excœcaretur atqve igne conſumeretur. DEUS eſt ignis, curioſe magis qvam piè myſteria divina ſcrutantes conſumens, habitat lucem inacceſſam, qvem vidit nemo, nec videre poteſt. DEUM ſane, qvi alia, qvam ſe revelavit, ratione inveſtigant, qværendo amittunt. Ænigmata ſunt ſacra ſanctaqve veneratione colenda, qvæ de ſe ſuisqve conſiliis nobis manifeſtavit. Qvamvis enim DEUM eſſe inter omnes conſtet, nihilominus *qvis ſit?* nec ſapientiſſimi, ſe ſatis ſcire, dicere auſi ſunt. Sane ubiqve DEUS conſpicitur, ſed nusqvam apparet: qvà patet orbis DEUS eſt, ſed nullibi tamen comprehenditur. DEUS ipſe, qvin adeo & nomen DEI myſterium eſt atqve ænigma. Ipſe de nomine ſuo qværenti reſpondet: *qvid qværis nomen meum, qvod eſt mirabile, Jud. XIII.* 18. Qvod enim nomen? qvæ voces ſunt, qvibus eſſentiam, gloriam, majeſtatem ac perfectionem Supremi Numinis exprimere velis? DAMASCENUS *de Fide Orthodoxa, Lib. I. Cap.* 16. *p. m.* 53.

de

de dlvinis Nominibus agens, sublimitatem DEI miratus argutè inqvit: τὸ θεῖον ἀκαταλήπτον ὂν, πάντως καὶ ἀνώνυμον ἔσται ἀγνοοῦντες ἂν τὴν οὐσίαν αὐτοῦ, καὶ οὐσίας ἄντος μὴ ἐκζητήσομεν ὄνομα, δηλωτικὰ γὰρ τῶν πραγμάτων εἰσὶ τὰ ὀνόματα. h. e. *Cum DEUS incomprehensibilis sit, nomine qvoqve prorsus caret. Ignorantes itaqve, qvænam sit ejus substantia, non est, qvod substantiæ ejus nomen investigemus. Nomina siqvidem rerum significativa esse debent.* Nomen qvidem suum ipse DEUS Mosi qværenti significat, dicens אהיה אשר אהיה *Exod. III.* 14. & concisius יהוה, qvod divinæ essentiæ rationem exprimit, idemqve qvod nomen יהוה significat: qvod & LXX. ideo reddiderunt, Ἐγώ εἰμι ὁ Ὤν: Hinc & in Apocalypsi vocatur ὁ ὢν, ὁ ἦν, ὁ ἐρχόμενος. Qvod ipsum sacrosanctum nomen ænigmatis aliqvid habet, atqve mysteri acontinet, qvod ii, qvi de Nomine יהוה commentati sunt, satis explicant. Apud Hebræos longe sanctius habitum fuit, qvam reliqva DEI nomina, atqve à Græcis τετραγράμματον dictum, licet, qvod observatu dignum, pleræqve gentes ex qvatuor literis de DEO nomina habeant. Cumqve adeo vel nomen DEI mirabile sit, digna utiqve DEO & augusta fuit qvorundam confessio, qvando dixerunt: DEVS *est ineffabilis, non dicendus, silentio exprimen-*

primendus. Ἀνεκλάλητος, ἄῤῥητος σιωπῇ φωνεμενος. Qvæ sane consideratio pietatem majestatisqve divinæ admirationem ac reverentiam auget. Licet enim qvædam de DEO in Scripturis S. humano more dicantur, secus tamen intelligenda sunt: monstrum enim, non DEUS esset, si talem nobis fingeremus DEUM, qvalem secundum literam Scriptura ob intellectus nostri imbecillitatem eum depingit. In S. Bibliis ubiqve de DEO ἀνθρωποπάθειαι occurrunt. Ubiqve fere DEUM commemorat Scriptura, qvi animam, faciem, oculos, aures, cervicem, os, manus, dextram, sinistram, brachium, viscera aliqve humani corporis membra habet. Qvæ si qvis Theologiæ ignarus audiat, hominem credat non DEUM, vel sane DEUM hominibus simillimum; præsertim cum & in Scriptura DEO affectus humani, aliæqve hominum actiones tribuantur, v. gr. ira, odium, tristitia, amor, gaudium, oblivio, recordatio, risus, clamor, labor, somnium, vigilia, &c. Sane fuerunt inter Christianos qvondam crassioris ingenii & monachalis ignorantiæ homines, *Anthropomorphitæ* dicti, qvos LACTANTIUS *Lib IV. Instit. div. Cap. III. p. m.* 328. *Anthropianos* vocat, qvi vel stupore, vel malitia qvadam DEUM hominibus simillimum, corporeqve humano indutum fingebant: qvi crassissimus error, licet

cet à Philosophis gentilium sanioribus rationis argumentis refelli possit, tamen forte ob temporum illorum superstitionem ac tenebras per multa secula, ad decimum usqve tenaciter in multorum animis hæsit: qvem errorem alii prioribus seculis errarunt, ut Seculo II. *Ebionitæ*, Seculo IV. vero *Audæani*, sive *Audiani* de qvibus vide *Centur. Magdeb.* aliosqve Historiæ Eccl. Scriptores. Dolendum sane adhuc hodie, in tanta luce, rustici ac stupidioris ingenii homines esse non paucos, qvi qvæsiti, utrum DEUS talis sit, qvalis vulgo pingitur, aures, manus aliaqve humana membra habens? Utiqve, audacter, sed imprudenter respondent: qvâ ignorantiâ rudiores à Ministris Ecclesiæ liberantur. Qvantum enim eheu! hoc errore decedit in talium animis gloriæ, majestati & venerationi, qvam DEO debemus. Sana talis si DEUS esset, qvalis pingitur, non adeo potentes ac magnates, qvem timerent, cuiqve obedirent, necesse haberent. Sed pictores multis modis modis etiam licentiâ suâ in Theologiam injurios esse, constat. Ita de DEO differendum, & scripturæ dicta, qvibus DEI attributa humano more significantur, explicanda sunt, ut veneratio Numinis augeatur, magnusqve sit DEUS in animis hominum atqve admirabilis, Dicendi vero hoc figuratum genus Ἀνθρωποπάθεια Græcis dicitur,

Rabbinis vero דרך vel לשון בני אדם *via* vel *sermo filiorum hominis.* De qvo GLASSIUS prolixe in Philol. Sacra, & præsertim Sum. Reverend. D. HERM. CHRIST. ENGELKEN, Prof. Theol. in Academia Rostochiensi celeberrimus, in pererudita Dissert. Inaug. de qvæstione: *An Ἀνθρωποπάθειαι sine vestigia Gentilismi?* Adeo in primo statim Theologiæ nostræ articulo de DEO, ænigmata occurrunt. Non inepte sane SIMONIDES Philosophus apud CICERONEM, *Lib. I. Nat. Deor.* qvid sit DEUS, Regi Hieroni explicaturus, ad deliberandum spatium sumsit biduum, triduum, ac cum aliqvoties distulisset tempus, tandem dixit: qvanto magis cogito, tanto minus intelligo, qvid sit illud, qvod vocamus DEUM. Et scriptorum Ecclesiasticorum nonnulli divinæ majestatis gloria capti, *DEUM definiri posse* negarunt, qvorum testimonia adducit B. CHEMNITIUS *in L. Th. de DEO p. m.* 58. seq. erudite pieqve suo more hac de re differens. Jam si abstrusiora doctrinæ Christianæ mysteria scruteris, prorsus rationi erunt ænigmata non nisi simplici sanctoqve fidei obseqvio solvenda. Qvantum & qvam sublime est de S. S. Trinitate Mysterium? Theologis merito *ineffabile* dicitur, *non qvidem*, dicente B. DANHAUERO, *Phænom. III. p. m.* 133. *simpliciter, qvantum enim Scriptura dictitat, qvantum Ecclesia sincera*

sincera, pia mater ac Scripturæ interpres, præloquitur, tantum balbutiendo consectari licet, sed comparate, quia infantes hic sumus, styli curiæ cœlestis ignari. Eam ob causam B. CHEMNITIUS in Locis suis caute, cast gate, modesteqve totam de DEO notitiam tractandam esse monet. Sane cum Ecclesiam Matrem ex Scripturâ narrantem tibi audis; DEUM esse unum, eundemqve trinum, Patrem esse DEUM, Filium esse DEUM, Spiritum S. esse DEUM, neqve tamen tres esse, sed unum DEUM; horum tamen qvemqve à se invicem proprietatibus suis hypostaticis differre, & qvæ sunt hujusmodi plura: qvid qvæso tibi, nisi sacra ænigmata videbuntur hæc? Qvæ de summo generationis Filii DEI mysterio & Spiritus S. processione in Scriptura passim dicuntur, per ἀνθρωποπάθειαν intelligenda esse, nemo negat. Exempli gratia, qvando CHRISTUS *Joh. V.* 19 inqvit: *Amen, amen dico vobis, non potest Filius facere qvicqvam à seipso, nisi qvod viderit Patrem facientem*: CHEMNITIUS *in Harm. Evangel. ad h. l. Cap. XLVI. p. m.* 456. hæc monet: *Simplicius erit, si per* ἀνθρωποπάθειαν *hæc intelligantur, qvomodo, si inter homines pater aliqvis filium unice à se dilectum nihil eorum, qvæ facit celet; sed velit omnium suorum operum esse & conscium & cooperatorem, ut ea ratione hæres fiat paternæ gloriæ. Hæc ab humanis* CHRISTUS *transfert ad*

Patrem cœlestem, non qvod ibi illa humano, sed divino modo fiant, &c. Pari modo sublimia admodum sunt, qvæ humano more de Spiritu S. *Joh. XVI.* 13. dicuntur. *Non loqvetur à semetipso, sed qvæcunqve audierit loqvetur*, qvorum verborum adeo sublimis est sensus, ut Interpretes bene observarint, iisdem & divinæ essentiæ unitatem, qvam Spiritus S. cum Patre & Filio communem habet, & personalem ejus propietatem, qvæ est à Patre & Filio ac æterno procedere, significari. Conf. B. CHEMN. seu GERHARDI *Harm. Evangel. Cap. CLXXIX. pag* 342. Adeo ænigmata fere tantum sunt, qvæ de profundissimus hisce mysteriis novimus, id qvod antiqva etiam suo confirmat testimonio Ecclesia; *Qvid sit*, inqviens, *nasci, qvid processus? me nescire sum professus.* NAZIANZENUS *Oratione XXXV.* qvæ est prima de Filio & tertia de Theologia, *p m. 567. edit. Paris. Morelli*, qværentibus, qvomodo genitus sit Filius DEI? respondet: *DEI generatio silentii honore decoretur. Abunde magnum tibi est scire, eum genitum esse. Qvo autem modo genitus sit, ne ipsis qvidem angelis, nedum tibi intelligere concesserim. Vis declarem qvomodo? Ut scit Pater, qvi progenuit, & Filius, qvi progenitus est, Qvod supra hæc est, nube obtegitur, animiqve tui hebetudinem fugit, &c.* Pari fere ratione idem NAZIANZENUS *Oratione XXXVII.*

XXXVII. qvæ est qvinta de Theologia *p. m.* 597. de Processione Spiritus Sancti scribit: *Qvæ est ergo hæc Processio? inqvies, Dic tu, qvæ Patris Ingenitura sit, & ego Filii Generationem & Spiritus S. Processionem explicare aggrediar; ut ambo mentis vesania præcipites agamur, in DEI mysteria oculos injicientes: idqve qvi tandem? nempe qvi ne ea qvidem, qvæ ante pedes sunt, scire, nec arenam maris, aut pluviæ guttas, & dies seculi enumerare possumus, nedum in DEI profunda penetrare, naturaqve adeo arcana, atqve omnem orationis facultatem usqve adeo superantis rationis reddere.* Reliqva S. S. Trinitatis aliaqve divinorum Consiliorum arcana silentio prætereo. De Sacramentorum mysteriis qvædam dici possent, qvæ rationi sunt ænigmata, de qvibus, præsertim Sacræ Cœnæ Sacramento veterum qvidam cecinit, *Motum sentimus, modum nescimus.* Sacrum vero Baptisma ænigmatis aliqvid habet, non solum ob mysterii sublimitatem, sed & ob ritum Immersionis in veteri Ecclesia adhibitum, qvo ceu sacro hieroglyphico sive Emblemate veteris Adami suffocatio significatur: ipso divo Paulo sacrum hoc ænigma ex mysterio mortis ac resurrectionis CHRISTI, *Rom. VI. 2. &c.* sic explicante. Sed brevis ero. Constat enim inter omnes, mysteriorum fide pene omnium tantam esse sublimitatem, ut carni vel rationi stulta videantur, qvin fa-

bulæ & deliramenta, qvalia videbantur CHRISTI discipulis mulierum illæ crebriores de CHRISTI resurrectione relationes, de qvibus Lucas *Cap. XXIV.* 11. dicit, *sed visa sunt eis qvasi deliramentum verba ipsarum, neqve crediderunt eis.* λῆρος in Græco exstat qvod Lutherus vertit: Mährlein. Sic sane rationi stulta est sapientia cœlestis, nec potest comprehendere, 1. *Cor. II.* 14.

§. VI. Qvodsi ad V. T. cultum atqve Theologiam respicere velimus, plura ibi licet sacra deprehendere ænigmata. Qvid enim totius cultus Levitici ceremoniæ sunt, nisi divina ænigmata? qvibus DEUS, qva est sapientia, prudenter abstrusa Novi Testamenti mysteria condi doceriqve voluit. Eam enim ætatem, qvâ Moses in deserto & Ecclesiam & Rempubl. divinis instruebat legibus, *Ecclesiæ Pueritiam* merito dixeris. Sicut Apostolus *Gal. III.* 24. & *Cap. IV.* 2. 3. monet. *Nos*, inqvit, *cum essemus infantes, sub elementis mundi eramus in servitutem redacti.* Pueri enim picturis & rebus externis capiuntur, eaqve rectius intelligunt, qvæ in oculos incurrunt, qvam qvæ de rebus sublimioribus dicuntur. Lex ceremonialis Populi Judaici Pædagogus ex præscripto DEI sese accommodavit pueritiæ & captui Ecclesiæ, qvæ cum sublimia mysteria plenamqve CHRISTI cognitionem rudis adhuc capere non poterat, ceremoniis

niis atqve picturis eam sacra docuit. Singula enim Mosis de cultu Levitico præcepta, ænigmatis aliqvid habent, sive Sabbatum, sive Festa, sive Sacrificia, sive templum, sive sacra in templo vasa atqve aras considera-veris; qvod prolixe demonstrari posset. Sed brevitatis studiosi, huic immorari consideration nolumus, siqvidem ipse Paulus præcipua cultus Levitici ænigmata illustri suâ ad Hebræos Epistolâ solvit atqve explicat. Extant præterea doctissimi aliorum Commentarii, qvibus V. T. ritus eorumqve significationes prolixe declarantur. Obvii sunt LUNDII alte Jüdische Heiligthümer, & *Goodwini Moses & Aaron*, Civiles & Ecclesiastici antiqvorum Hebræorum ritus pie doctеqve explicantur.

§. VII. Neqve vero Moses tantum ænigmata passim docuit, sed & Prophetæ ænigmatico dicendi genere gavisi sunt. Profecto si omnia Prophetarum oracula secundum literam explicare velis, qvæ non inde sequerentur absurda? Ex N. T. luce ad umbras V. T. regrediendum foret, eo qvidem tempore, qvo lux N. T. clarissime splendere debebat. Insigniter itaqve falluntur illi crassioris Millenarii defensores propugnatoresqve acerrimi, qvi dum Prophetas explicant, atqve ex iis erroris sui speciem atqve patrocinium qværunt, pleraqve secundum literam adhuc implenda esse dictitant. Hinc multa

à fidei analogia alieniſſima conſeqvuntur. Unum ex multis Eſaiæ *Caput LX.* exempli gratia allego, qvod de felici mille annorum Eccleſiæ ſtatu vulgo explicant; at vero ſi juxta eorum hypotheſin, omnia ſecundum literam impleri deberent, Hieroſolyma, templumqve reſtaurandum, cultus V. T. Leviticus atqve Sacrificia reducenda forent, & qvidem beatiſſimo illo, qvod ſperant, Millenarii ſeculo. Sicqveredirent umbræ, qvas, ut luce ſua CHRISTUS & illuſtraret & abrogaret, venit. Reducunt adeo poſtliminio atqve reſtaurant ſua hypotheſi qvæ CHRISTUS & Apoſtoli abolita eſſe voluerunt, Eundem itaqve ne erremus errorem, *Theologiam Prophetarum ut cum maxime Ænigmaticam eſſe*, tenendum eſt. Qvamplurimus hoc probari poſſe oraculis, nemo inficias ibit, qvi Theologiæ Propheticæ haud prorſus ignarus fuerit. Divinus vates Eſaias *pacem* CHRISTI fidelibus commendaturus, Cap. XI. 6. &c. *habitabit*, inqvit, *lupus eum agno, & pardus cum hædo accubabit, vitulus & catulus leonis & bubalus ſimul, & puer parvus ducet eos. Et vacca & urſa paſcentur, ſimul accubabunt nati earum & leo ſicut bos comedet paleam. Delectabiturqve lactens ſuper foramen aſpidis & ſuper cavernam reguli ablactatus manum ſuam extendet. Non nocebunt, neqve perdent in univerſo monte ſanctitatis meæ.* Denuo

eodem

eodem ænigmate describit Pacem CHRISTI *Cap. LXV. 25.* Qvæ si qvis κατὰ λέξιν intelligenda esse propugnet, cum Judæis CHRISTUM jam venisse neget, necessum est: illi enim adversus religionem Christianam telum se cudere posse validissimum arbitrantur, cum ajunt, temporibus JESU, qvem Messiam esse volunt, neqve habitasse lupum cum agno, neqve pardum accubuisse cum hædo, neqve ulla aureæ hujus ætatis ad hanc diem apparuisse vestigia, proinde nec Messiam fuisse JESUM. Cogitent hoc Chiliasmi autores, qvam periculi plena sit eorum sententia, κατὰ λέξιν Prophetarum ejusmodi oracula explicantes. Præter ipsorum forte mentem Judæis favent; qvos proinde *Semi Judæos* B. HIERONYMUS *in Esaiano suo Commentario* (qvi *Tomo V. Opp. Edit. Basil* extat) vocitat: qvem ideo DN. PETERSEN *in suo Commentario* invidiose passim criminatur, suæ qvod minus opinioni faveat. Jam enim multis seculis erronea hæc hypothesis à qvibusdam asserta fuit; qvi licet omni tempore à puriori Ecclesia rejecti, denuo tamen subinde erroris svavitate multis se commendarunt. Doctissime HUETIUS hac de re fusius disserit *in Demonstrat. Evangel. Propos. IX. p. m. 446.* atqve alibi passim, ejusmodi vaticinia allegorice sumenda esse ipsorum Rabbinorum suffragiis docens:

qvæ

qvæ si qvis curatius meditatus fuerit, facile animum ab errore immunem servabit. In Prophetarum enim Scriptis (sunt fere HUETII verba *l. c. Prop. VII. §. 2 p. m. 272*) duplex prædictionum apparet genus, alterum *expressis verbis*; *signis* alterum ac *simulacris* adumbratum; pro more per Orientem jam inde à vetustissimis temporibus usitatissimo, ac inter Judæos præcipue, qvibus cogitationes, sive ad futura, sive ad præsentia, sive ad præterita pertineant, formis ac figuris significare solenne est. Hujus generis fuit Ahiæ Silonitæ vaticinium, cum pallii novi, in duodecim partes scissi, decem segmina colligere Jeroboamum jussit: qva imagine Salomonici regni scissuram præsignificabat, cujus decem tribus sub hujus imperium erant olim concessuræ. Sic Jeremias per subligaculum lineum in Euphrate putrefactum Judæorum superbiam depressum iri portendit. Cujusmodi exempla qvam plurima in S. Bibliis extant. HIERONYMUS moris hujus rationem hanc tradit. *Vult Scriptura divina, non solum auribus doceri populum, sed & oculis. Magis enim mente retinetur qvod visu, qvam qvod auditu ad animum pervenit.* Qvæ vero *verbis* expressæ sunt Prophetiæ, vel nudam simplicemqve habent significationem, vel obscuram ac difficilem. Sic obscurior & occulta est futurorum prædictio illa Esaiæ supra

pra ex *Cap. XI. 6. &c.* allegata, qvando concordiam ac pacem gentium atqve Judæorum ænigmatice describit; *Habitabit*, inqviens, *lupus cum agno, &c.* De qvo dicendi genere, ne imprudens in errorem ducatur Scripturæ lector, subinde Patres monuerunt. TERTULLIANUS adversus Marcionem scribens *Lib. III. Cap. V. p. m.* 670. *edit. Paris. Duas*, inqvit, *causas Prophetici eloqvii adlego agnoscendas, abhinc adversariis nostris: unam qvâ futura interdum pro jam transactis enunciantur. Nam & divinitati competit; qvæcunqve decreverit, ut perfecta reputare, qvia non sit apud illum differentia temporis, - - - alia species erit, qva pleraqve figurate portenduntur per ænigmata & allegorias & parabolas, aliter intelligenda qvam scripta sunt. Nam & montes legimus destillaturos dulcorem, non tamen ut sapam de petris, aut defrutum de rupibus speres, &c.* Similis fere huic est Orgenis observatio, qvâ diversum hoc prædictionum Propheticarum genus ostendit: ita vero ille *Lib. I. contra Celsum. Primo dicendum est, multos Prophetas res ad* CHRISTUM *pertinentes omnibus modis prædixisse; alios qvidem per ænigmata, qvosdam per allegoriam, vel alio modo; nonnullos etiam apertis verbis.* Qvæ HUETIUS etiam *l. c. Prop. VII.* allegans, *ænigmata* interpretatur signa; *allegorias* vero vaticinia, qvibus multiplex subest significatio. Sane & vaticinia Esaiæ

à *Capite*

à *Capite XIII. ad XIII.* usqve, contra Babylonios, Assyrios, Æthiopes, Ægyptios, Edumæos, Arabes, Tyrios aliosqve ænigmatis aliqvid habere, non adeo à verisimili abhorret. Neqve enim Prophetam solum de Babylone proprie sic dicta, cæterisqve, qvorum nomina exprimuntur, populis Ecclesiæ Judaicæ inimicis, sed etiam de Babylone mystica atqve Ecclesiæ N.T. hostibus, qvi illis veluti typis significabantur, loqvi, ex collatis Scripturæ locis & Apocalypseos paralelismo facile cuiqve constabit. Pariter qvando *Esaiæ Cap. LXIII.* Edomi & Bozræ mentio sit, per Edomum nihil minus intelligi, qvam qvod Esaiæ tempore Edom appellabatur, & Bozram nihil minus, qvam metropolim Idumææ, hoc nomine illis seculis cognitam, dudum interpretes observarunt. Nomina enim hæc Edom & Bozra sunt h. l. mystica & hieroglyphica, ut passim Sodom, Gomorrha & Babel. Multam lucem huic meditationi afferent eruditissimæ GURTLERII ac VITRINGÆ, magna inter Reformatos nomina, lucubrationes: ille enim insigni opere, *Systema Theologiæ Prophetica* inscripto; hic vero suis in *Esaiam* ac *Apolypsin Commentariis* Prophetica ænigmata passim illustravit. Qvorum cogitata & sententias Cel. D. MICHAELIS *in Notis suis ad Biblia Hebraica, Halæ Sax. anno* 1720 *edita*, creberrime allegat & recenset. Cum Judicio tamen ac caute in nonnullis legendi,

ut

ut jam ab aliis monitum fuit. Integer sane Commentarius scribendus foret, si prolixius Esaiæ ænigmata sacra persequi vellem, quæ ubiqve apparent. JEREMIAS non adeo figurato hoc dicendi genere utitur; qvandoqve tamen. HEZECHIELE vero nihil est hoc in genere sublimius: præ reliqvis enim divina consilia atqve vaticinia sua per ænigmata, figuras, symbola & typos exponit, atqve adeo obscura oracula profert, qvæ non solum illius ætatis homines in admirationem rapere, sed & omnium temporum ingenia exercere potuerunt. Sunt enim, revelationes, qvas â DEO accepit, sive sublime fictionis ingenium, sive sensus sublimitatem spectes, plane mirabiles. Merito de hoc Vate ita judicat Cel. D. MICHAELIS *in Præfat. ad Ezech.* Nec mirum, Prophetam hunc adeo ænigmatis ac symbolorum figuris delectari, ipse enim DEUS, hoc ut dicendi genere uteretur, mandavit, *Cap. XVII. 2.* חוד חידה ומשל משל *ænigmatice propone ænigma & paraboliza parabolam*: qvo ipso capite etiam ænigma sive emblema de duabus aqvilis & surculo cedri ac vitis proponit & explicat. Hinc & populus Judaicus, ægre ejusmodi arcana oracula ferens, eum pro deliro atqve inepto habuit, qvippe qvi non nisi ænigmata & parabolas, qvæ nec intelligi possint, nec satis cohæreant, loqvatur

qvatur. Ita ipse dolenti animo qveritur: *Cap. XXI. 5. Ab Domine Jehova: Ipsi dicunt mihi, annon parabolice parabolas loqvitur iste?* Officium suum propheticum insigni ænigmate sive visione auspicatur: qvo ipso nihil illustrius est, nec intellectu difficilius: æqve fere idem vates, ut exorsus, ita qvoqve finit librum suum abstruso ænigmate, de Gog & Magog, atqve nova templi restauratione multa vaticinans. Nec interpretum hactenus fuit qvisqvam, qvi omnes oraculi hujus difficultates satis explicare possit. Symbola ejusmodi atqve ænigmata visionibus suis etiam proponit DANIEL: Ex Prophetis vero, qvi Minores dici solent, ZACHARIAS, cujus sane Theologia omnium maxime emblematica sive ænigmatica dici potest. Integris enim sex prioribus capitibus non nisi emblemata sacra pingit, qvæ interpretibus sane sunt ænigmata. Nunc virum eqvo rufo insidentem adducit; nunc qvatuor cornua à qvatuor fabris contusa pingit; nunc funiculum mensorium monstrat; nunc Josuam Pontificem inducit; nunc candelabrum cum oleis; nunc volumen volans; nunc Epham mulieremqve in ea sedentem; nunc currum, nunc coronas monstrat: qvæ tum ab aliis Interpretibus tum vero maxime à D. JOH. BIERMANNO, Prof. Herbornensi, Viro in Theologia allegorica exercitatissimo prolixe; pari tamen haud ubiqve diligentia,

explicata

explicata sunt. De stylo Zachariæ ac dicendi genere *pag.* 4. hæc observat: Was sind die Weissagungen dieses Propheten anders als dunckele Rätzel und Gesichter, welche auch den aller subtilsten Oedipis und geschicktesten GOttes-Gelehrten genugsam zuschaffen geben, um dieselben aufftzulösen und zuerklären. De hoc Viro Cel. Autores der Unschuld. Nachr. Anni 1702. ejusdem *Clavem Apocalyptico-Propheticam* recensentes *p. m.* 384. ita judicant. Er ist in der so genannten allegorischen oder Bilder-Theologie sehr wohl versiret, und verspricht ein Systema derselben, mit Zusammenhaltung der Aegyptischen, Römischen, und Griechischen Hierogliphycorum heraus zugeben.

§. VIII. Veteris igitur Testamenti Theologia Ænigmatica est, umbris & ceremoniarum figuris vatumqve sacrorum hieroglyphicis involuta. B. CHEMNITIUS sæpius in Harmonia monet, in V. T. mysteria de CHRISTO Prophetarum scriptis obscurius esse significata, & qvasi in ænigmate proposita. Conf. *Cap. IV. p. m.* 42. & passim. Qvorum sensum ante complementum fideles qvidem Spiritus S. gratia collustrati, tenebant, eorumqve gustu sub legis jugo refocillabantur, reliqvis vero gryphi insolubiles videbantur atqve sermones intricati; dicente Esaia *Cap. XXIX v.* 11. *Erit vobis visio omnium* (verorum scilicet Prophetarum) *sicut verba Epistolæ obsignatæ*

signata, qvam dabunt scienti literas, dicendo: Lege nunc, istam: & dicet, non possum, qvia obsignata est. Conf. 2. Cor. III. 14. &c. Novi vero Testamenti tempore sole justitiæ CHRISTO JESU orbem veluti luce meridiana illustrante, cessarunt umbræ atqve V. T. ænigmata, olim intellectu difficillima, jam vero, postqvam impleta, clarissima. Restant tamen qvædam in N. T. ænigmata. De sua enim Paulus aliorumqve Novi Testamenti fidelium cognitione differens, *videmus nunc*, inqvit, *in speculo & in ænigmate.* Licet vero CHRISTUS, prophetico suo munere fungens, Prophetatum oracula non solum explicaret, sed & adimpleret; nec ipse tamen ab ænigmatico ac figurato dicendi genere abhorruit: nam in erudiendo populo parabolis sæpissime usus. Intrega illa & prolixa Concio, qvæ tum à Matthæo, *Cap. XIII.* tum à Marco *Cap. VI.* tum à Luca *Cap. VIII.* recensetur, qvave regni sui indolem CHRISTUS rudem populum undiqvaqve ad se confluentem docere voluit, Parabolica est; qva doctrinas cœlestes, rerum externarum similitudine pictas, auditoribus suis proposuit; nunc ab agricola largam sementem faciente; nunc à segete sponte sua ad copiosam messem excrescente; nunc à lolio segetibus infesto; nunc à fermento, nunc ab aliis rebus sumta similitudine. Monetqve adeo

Matthæus

Matthæus loco citato *vers.* 23. omnia JESUM ad circumstantem turbam per parabolas locutum esse, ut impleretur Prophetæ oraculum, *Psalm. LXXVIII.* 2. *Aperiam in parabolis os meum & eloqvar ænigmata inde à principio seculi*: qvo dicto משׁר & חידות conjunguntur simul & Hezech. *Cap. XVII.* 2. Conf. *Harm. Chemn. Cap. LXI. p. m.* 875. Qvæ vero CHRISTUS ob auditorum imbecillitatem ac ignorantiam parabolicè primum proposuit, suos deinde discipulos aperte docuit, præsertim paulo ante suum ex hoc mundo discessum. Qvod ipsum mirantur discipuli, *Ecce* inqvientes, *aperte jam loqvens, nec similitudinem ullam dicis.* Post resurrectionem etiam, anteqvam in cælum sublatus esset, suis magis magisqve vaticiniorum ænigmata, qvæ in Mosis ac prophetarum Commentariis extant, explanavit, *Luc. XXIV.* 27. 45. Apostoli vero insigni parrhesia clare atqve absqve parabolarum involucris doctrinam cælestem proposuerunt. Clare enim splendente sole JESU CHRISTO, noctis cessabant umbræ. Verum enim vero, cum tanta sit mysteriorum divinorum sublimitas, ut mens humana ea comprehendere non possit, nisi DEUS ad intellectus nostri imbecillitatem docendi dicendiqve modum accommodaret, divinasqve res humano modo atqve verbis exprimeret, Paulus non veretur, in tanta

licet N. T. luce, asserere, nos divina mysteria tantum in speculo & in ænigmate cernere, atque ex parte tantum cognoscere. Cum enim multa ἀνθρωποπαθῶς in Scriptura etiam ab Apostolis dicantur, mirum non est, nos non nisi *in tertio comparationis* (ut in Scholis loqvi amant) mysteria divina nosse. Ultimus vero Novi Testamenti liber, qvi est Propheticus, prorsus ænigmaticus est. Qvot enim Apocalypsis Johannis capita, qvin sæpius, qvot commata, tot ænigmata occurrunt. Qvæ enim *Capite I.* de septem aureis candelabris, de stellis, de septem Ecclesiis *Cap. II. & III.* qvæqve capitibus seqventibus de tubis, de phialis, de sigillis, de libro à Johanne devorato, de oleis, de dracone, de bestia utraqve, de Babylonica meretrice, de Hierosolymis & civitate DEI diçuntur, & qvæ hujus generis plura sunt, sacra esse ænigmata nemo non videt. Forma enim Scripti Dramarica est, cujus vaticinia anteqvam impleantur, ænigmata videntur. Conf. B. KROMAYRI *Comm. Apocalyps. dedic. & præf.*

§. IX. Qvia vero facilis est mentis humanæ error, difficile vero mediam tenere viam, cum ad extrema semper proclives simus, cautio utiqve atqve prudentia est adhibenda, ne dum Theologiam ænigmaticam esse, atqve Scripturas Sacras ænigmata loqvi dicimus, verus ac genuinus Sacrarum Literarum

rarum sensus negligatur. Qvod si fit, dum certa amittimus, incerta vero qværimus, in nescio qvos abripimur errorum vortices. In vero enim Scripturæ sensu *formam ejus internam* consistere constat. Conf. B. KÖNIGIUM *in Theol. Pos. Art. de Scriptura* §. 90. Sensus literalis Scripturæ omnis solidæ cognitionis Theologicæ fundamentum est; qvo sublato, totum doctrinæ cœlestis corruit systema: nihilqve nobis certi in Bibliis S. relinqvitur, si neglecto ubiqve literali sensu, pro arbitrio ænigmata, allegorias & nescio qvæ deniqve abscondita nova mysteria inde confingere velis. Eqvidem constat, præter sensum Scripturæ *literalem* dari etiam sensum *mysticum*, qvi (ut B. KÖNIGII verbis *l.c* §.100. utar) non significatur proxime per ipsa verba, sed in ipsis rebus, per verba sensus literalis denotatis, à Spiritu S. ipso intenditur, sive qvod idem est, qvi ex intentione Spiritus S. alio refertur, qvam ad id, qvod verba immeditate significant. Cujus sane regulæ magnus est in explicandis Prophetorum oraculis atqve Apocalypseos mysteriis usus, sed caute tamen incedendum; ne multiplices Scripturæ sensus fingamus, ac primum deniqve verumqve Scripturæ sensum amittamus. De Origene, qvi ubiqve allegorias confingebat, utrum Scripturam illustrarit, an obscurarit potius, merito dubites. *Magdeburgenses in Cent.*

III. Cap. X. p. m. 187. *edit. Basil* in Alexandrino hoc doctore non immerito improbant, qvod immodicis & intempestivis allegoriis modum docendi Sacras Literas immutarit, suis opinionum portentis indulgens: qvo exemplo aliis etiam occasionem præbuit, in Scriptura somnia fingendi. Sic enim Paradisum, (ut HIERONIMUS ait) & ejus aqvas, easqve qvæ sunt supra cœlos, & tunicas pelliceas, (ut EPIPHANIUS ostendit) & desertum Johannis, & omnia qvæcunqve, ubi potest, allegoricè interpretatur. De qvo institutio THEOPHILUS ALEXANDRINUS severius judicat, cujus censuram sis legas apud *Magdeb l. c.* Magnus sane in interpretantis Scripturis inter Reformatos Theologus fuit COCCEJUS, qvi lucis multum & eruditionis ad illustrandas illas attulit, sed dudum à prudentioribus Theologis monstratum fuit, qvantum periculi nova Cocceji hypothesis afferat, qvam in Batavia atqve alibi qvam plurimi seqvuntur Theologi, contendentes, verba Spiritus S: semper omni sua latitudine atqve potentia sumenda, ita ut qvicqvid in potestate verborum Scripturæ est, id ipso actu significet. Utiqve sanè infinitæ sunt literarum sacrarum divitiæ, (qvod objiciunt Coccejanæ hypetheseos propugnatores) sed divitiæ Scripturæ non ex multiplici ejus *sensu*, sed *usu* multiplici æstiman-

æstimandæ sunt. Sensus enim Scripturæ certus est, & extra typum unicus literalis; nec licet omnes illos, qvibus locus aliqvis Biblicus explicari potest, pro genuinis ejus sensibus venditare, qvia hic modus est intelligendi & interpretandi omnia alia scripta, nec aliter veritas certa à vanis mentis ludibriis distingvi potest; docente B. SCHOMERO *in Colleg. Recent. Controv. de Scriptura S.* §. 9. Eqvidem novitatis ut plurimum mortales ducuntur amore, qvo fit, ut allegoriæ cum primum audiuntur, novitate ac sæpe svavitate sua se commendent, avideqve iis assentiatur animus novitatis cupidus: sed rursus sæpe multis vilescunt, postqvam diu mente agitatæ temporis diuturnitate novæ esse desierunt, jamqve novitatis gratiam amiserunt. Præterea allegoriæ ejusmodi incertæ ac vagæ nihil certi solatii animo afferunt inter tentationum fluctus agitato, qvi sane, ut fide confirmetur, certa, perspicua, solida postulat.

§. X. Ne qvis vero imprudens aut partium studio nimium ductus, de iis, qvæ jam monuimus, sinistre sentiat, utiqve & insignem esse illam diligentiam fatemur, qvæ in Theologia allegorica exornanda adhibetur; modo studium hoc caute ita tractetur, ne verum literalem sensum vel neges, vel in alium contorqveas, vel ingenio tuo indul-

gens paulatim à fidei simplicitate atqve analogia recedas. Optandum foret, ut cum nostro seculo novæ subinde in explicandis Prophetarum oraculis ab interpretibus adhibeantur hypotheses, magni in Ecclesia Viri, Theologi, ut scripturarum scientia ita rerum ac pietatis usu exercitatissimi, conjuncto studio communicatisqve invicem consiliis Theologiam allegoricam lucubrationibus suis & illustrarent & à maculis, qvibus à multis obscuratur, repurgatam veræ suæ luci restituerent. Perplacet mihi prudens Magnifici D. V. E. LOESCHERI, Viri ad magna à DEO exitati, qvemqve Ecclesiæ diu superstitem esse velit! consilium: is enim ut nihil sive in eruditione, sive Praxi Theologica inexpertum reliqvit, insigne etiam ingenii acumen atqve accurationem hac in re ostendit, qvando *in Relat. Innoc.* Anno 1705. JOHANNIS HENRICI à SCHOENAU librum, Betrachtungen über die geheime Fürbilder der sechs Tagen der Welt-Erschaffung recenset, *p.* 150. eruditas has addit observationes: Was das Haupt-Werck anlanget, so ist allerdings die Theologia Prophetico Allegorica nichts geringschätziges, und stuffen wir unsers Orts hertzlich, daß viele GOTT erleuchtete Männer (weil einer hierin vieler Ursachen wegen sich nicht zu weit wagen solte,) mit zusammen gesetzten Gebet, Eyffer und Fleiß

diese

diese Arbeit vor sich nehmen. Dabey wohl höchnöthig wäre, (1) darauff zu sehen, daß nicht, wie es bey ungebundenen allegorien sehr leicht schehen kan, qvod libet ex qvolibet gemacht, und ein typus wohl auf wiederwärtige Dinge gezogen, sondern gewisse Schrancken gesetzt werden möchten, die man aus zusammensetzung des Alten und Neuen Testaments am füglichsten nehmen kan: (2) Daß nicht alsobald aus allen Dingen die etwas miteinander harmoniren, typi und Weissagungen gemacht würden: Denn ob zwar wohl GOTT alles in schönster harmonie geordnet hat, so kan doch der Mensch bey Erblickung einiger zusammenstimmung nicht gleich das gantze Systema penetriren. (3) Daß man die hypothesin vom Chiliasmo nicht zuvor mit hineinbringe, welche ordentlich die ihrigen dahin verleitet, daß sie alles darnach ziehen. (4) Daß man nicht mehr sensus der Schrifft mache, sondern das alles vor gute applicationes halte, und die intention GOTTES nur mediantibus rebus in dem Text suche: Denn es sind vielmehr indicationes der Sachen, so im Text stehen, als sensus des Text. Theologorum in Batavia nonnulli ad hanc præsertim Theologiæ partem magnum studium contulerunt, sed qvia novis subinde hypothesibus indulgent, nec suis adeo ubiqve probantur. Inter hos nostro seculet enimet HERM. DEUSINGIUS,

qvi anni 1690. Groningæ, denuo anno 1701. Franeqveræ *Demonstrationem Allegoricam Historicam* edidit; cujus viri laudanda qvidem est eruditio atqve diligentia, sed sententia ejus non adeo ubiqve probanda. Recensitum hunc librum legimus in *Relationibus innocuis anni* 1702. *p. m.* 912. Simulac prodiit Demonstratio ista, multa alii in ista monenda duxerunt: qvibus Autor Apologia scripta respondit. In hoc studiorum sacrorum genere excellit etiam D. NIC. GURTLERUS, qvi anno 1702. Amstelodami *Systema Theologiæ Propheticæ* edidit. Opus est eruditum & amplum, qvod ubiqve fere in Adnotationibus Bibliorum, qvæ Halæ Magdeburgicæ Hebræo idiomate anno 1720. edita sunt, allegatur. Recensetur vero, laudatur, sed & docte qvædam in illo monentur *in Relat. Innoc, anno* 1705. *pag.* 44. *&c.* Laudem etiam meretur JOH. BIERMANNUS in Ducatu Clivensi primum Verbi Divini Minister, postea vero Theol. Doctor & Professor Herbornensis, qvi *Clavem Apocalyptico-Propheticam* anno 1702. edidit, sed JOHANNIS COCCEJI vestigia premit. Hunc qvoqve recensent librum Cel. Autores der Unschuldigen Nachrichten, *anno* 1720. *pag.* 381. Idem etiam Autor divulgavit in Zachariam Commentarium, hoc titulo: Die Weissagung des Propheten Zachariæ gründlich erklärt durch

Johann

Johann Biermann, und ins Hochteutsche übersetzt durch Emanuel Meyer, Basel 1710. Sedulo vero cavendum, ne à recta declinemus ad avia; pleriqve enim Mysticorum, ut vocari solent, allegoriarum nimietate fere ac svavitate luxuriantur; qvo fit, ut cum clara Scripturæ litera atqve historia pro lubitu sine certo Scripturæ indicio ac fundamento, in meras allegorias ac hieroglyphica convertatur, certus tandem Scripturæ sensus ac litera vacillet. Si historiam lapsus, si bella à populo Judaico gesta, si deniqve CHRISTI miracula ac vitam in allegorias sive hieroglyphica commutaveris, tandem totus CHRISTUS noster erit Hieroglyphicus, vel Allegoricus, ac tandem Nullus. Eqvidem qvædam interprete Scriptura de CHRISTO ut literaliter, ita etiam mystice recte intelliguntur; sicut Paulus *Rom. IV.* docet. Mors enim CHRISTI atqve resurrectio emblemata sunt mortis nostræ spiritualis ac resurrectionis. Exitus CHRISTI ex urbe Hierosolymitana emblema, seu rectius officii nostri commonitorium, qvo Christiani docemur civitatem mundi deserere atqve susceptа CHRISTI cruce ad futura & æterna contendere, *Hebr. VIII.* Israëlitarum bella, fata beneficia, sunt Symbola eorum, qvæ & nobis obveniunt, 1 *Cor. X.* Hæc vero ita doceantur, ut Scriptura ipsa hujusmodi significationis

cationis sit index, atqve primus & historicus Scripturæ sensus, qvi literalis est, neqvaqvam flocci habeatur. Id qvod subinde fieri, satis constat. Literalis enim sensus primarius semper est & allegoriarum fundamentum. Qvantum fidei detrimentum afferat nimium illud allegoriarum studium, jam Apostolorum ætas docere potest. Qvi in Corinthiaca Ecclesia veram corporum nostrorum resurrectionem negabant, hieroglyphice doctrinam Apostolorum de resurrectione CHRISTI & nostra interpretabantur; qvasi spiritualis mere esset, symbolica & ænigmatica, aliud docens qvam verba tradunt. Qvem vero errorem solida ac prolixa refutatione Paulus 1. *Cor. XV.* diluit atqve ex Ecclesia repulit. Sunt sane nonnulli, qvi qvæ in sacris literis incongrua atqve impossibilia rationi videntur, hieroglyphice ea explicari posse autumant. Inter recentiores ejusmodi interpretes Doct. DN. HENR. BERNH. WITTERUM, Hildesiensem, in patria ad D. Pauli Pastorem celeberrimum adducere possum; is enim anno 1711. tractatum judicio atqve eruditione insignem edidit, inscriptum: *Jura Israëlitarum in Palæstinam*, qvo in libro ut argutè doctèqve, ita periculosè qvædam commentatus est, *Clerici* aliorumqve novas hypotheses secutus. Mosis enim de Arbore vitæ & cognitionis boni & mali,

pariter

pariter de primi hominis peccato atqve de serpente historias, hieroglyphica atqve ænigmata tantum esse, non veram historiam asserit. Ne qvis doctissimo Viro injuriam fieri putet, ipsius Autoris verba ex Commentatione sua in Genesin, qvæ Jura Israëlitarum in Palæstinam inscribitur, transscribenda duxi. Ille enim in Exegesi *Capitis II.* §. 42. *pag* 101. contra communem nostratium Theologorum sententiam, *Mosen v.* 16. de *morte spirituali* & qvæ illam consequitur, *gehenna æterna*, loqvi, non solum pernegat; ratione addita, *qvia pleraqve Pentatevchi decreta vitæ temporalis felicitates enarrant*, (qvi Grotii est error ab aliis dudum refutatus) sed & de arbore vitæ & cognitionis boni & mali ita disserit l. c. *Saniore & pene dixerim diviniore mente præditi sunt, qvi* (*sunt autem bene multi*) *arbores commemoratas, scilicet vitæ ac salubres & cognitionis boni ac mali sive insalubres, SYMBOLUM & memoriale vitæ divinitus acceptæ vel mortis promeritæ cum Vatablo, aut cum Piscatore & Ainswortho divinæ vel gratiæ, vel iræ SACRAMENTUM esse profitentur. Qvorum vestigiis ut insistam per sequentia cogor. Primum enim extra dubium est, si non omnino ante Mosen, primâ saltem hac ætate literarum usum mortales ignorasse. Cogimur igitur ut fateamur, homines frequentissimis DEI oraculis tum instructos religionis suæ arcana delineasse, qvibus ipse Moses*

Moses inter Ægyptios institutus assueverit. Moses vero ex vetustissimis gentis suæ ac majorem memoriis πατραπαραδόσεις uti JURA ISRAELITARUM in PALÆSTINAM, ita potissimum VERÆ Religionis εὐαρεστον cultum derivavit, DEO calamum moderante. Ex quibus præmissis apertissime colligitur: & antiquissimos homines primævi sui status conditionem symbolis quibusdam hieroglyphicis expressisse, & Mosen, vestigiis illorum insistentem hieroglyphica Veterum Symbola in Scripturam suam antiquissimæ historiæ Syllabum, transtulisse. Unde tandem citra Difficultatem sequitur, Patriarchas vetustos Protoplastorum accreatam felicitatem & eximia dona arboris vitæ & salubris, lapsum vero deplorandum arboris insalubris & noxiæ SYMBOLIS expressisse. &c. Rursus *Cap. III. Gen. p.* 111. Historiam lapsus explicare exorsus hæc commentatur. *HIEROGLYPHICUM dicendi genus, Orientalibus vetustissimis consvetum, à Mose vero literarum inventore, characteribus expressis in Scripturam relatum, vel unica de SERPENTE DECEPTORE historia irrefragabiliter confirmat.* Denuo pag. 112. *Hæc ipsa lapsus Protoplastici pictura Mosis penicillo delineata EMBLEMA & SYMBOLUM est peccaminosi, in qvem detrusi sunt mortales, status.* Maxime vero notatu digna sunt, qvæ *pag.* 115. §. 6. dicuntur, *Nimirum Satanæ callidissimam impostruram priscum seculum delineaturum, cum stylo diserto & expressis literis nondum*

dum posset efferre, Hieroglyphico hoc serpentis callidi atque insidiosi Symbolo tradidit. Neque dubium est, quin ÆNIGMATIS hujus sacri vera significatio & ante diluvium & Mosis adhuc ætate vulgo innotuerit, cum plaraque metaphoræ de serpente sumptæ sunt, quæ diabolo tribuuneur in S. S. Scandalo vix caret, qvando *pag.* 116. ad fabularum Æsopi autoritatem atqve exempla provocat. *Constat enim*, inqvit, *Æsopum aliosqvi mythicos scriptores doctrinas morales ac notionales plurimas picturis altum sensum gerentibus expressisse &c.* Sane integram hanc lapsus historiam nunc Ænigma, nunc Symbolum, nunc Emblema, nunc Hieroglyphicon vocat. Latebras adeo, in qvas Adam trepidus confugit, dicit esse hieroglyphicon terroris & fugæ Symbolum. Iterum *pag.* 129. *versum* 8. explicans, procellosas tempestates iræ div. *Symbolum* esse, tonitruum vero minas promeritarum pœnarum *hieroglyphicon* esse & *ænigma.* Non negant Theologi nostrates illæ recensitæ historiæ momenta utiqve pie & prudentet Symbola ejusmodi dici posse, modo ipsius historiæ adeoqve sensus literalis veritas non negetur. Hoc sane exemplo constat, qvam periculose agatur, cum relicta semel Scripturæ litera historia sacra in meras allegorias, ænigmata & Symbola convertitur. Jam alii, alio licet errore lapsum Adamiticum aliasqve Scripturæ historias in

Symbo-

Symbola atqve ænigmata immutare voluerunt. De qvibus vide B. D. SCHOMERI *Colleg. Recent. Controv. Cap. IX. §. 1, p. m.* 87. Prudenter ideo à Cel. *Relationum Innocuarum Autoribus*, recensito Anno 1713. *pag.* 818. WITTERI tractatu, monitum fuit. Die Reden der Schlangen gegen Evam will der Herr Autor nur vor bloſſes Einblaſen der Gedancken halten, darauff die Eva auch in Gedancken geantwortet hätte; und das Eſſen vom verbothenen Baum, leget er nur hieroglyphice von allen Abweichen oder ſündigen aus! Allein man ſehe zu, daß man ſich nicht auff ſolche Weiſe auch die alte Schlange von der Einfältigkeit im göttlichen Wort verſuchen laſſe.

§. XI Non immerito qvis miretur, qvi factum ſit, qvod ænigmatico. ſ. obſcuriori qvandoqve DEUS in Scriptura Sacra uſus ſit dicendi genere; qvæ tamen à Spiritu S. data, ut ſalutis viam cœcutientibus monſtraret, & myſteria divina ignorantibus enarraret? Ipſi adeo CHRISTI diſcipuli hoc mirati ſunt, cum ſcirent Magiſtrum ſuum à Patre cœleſti in hunc mundum miſſum eſſe, ut divinam voluntatem explicaret, qvem tamen ſæpius continuis parabolis populum doctrinas cœleſtes docentem audirent, qvia rectius ſimplici & perſpicuo ſermone doceri poterat: Interrogant itaqve CHRISTUM ea de re diſcipuli, atqve *qvare* inqviunt, *per parabolas*

bolas loqveris? Matth. XIII. 10. Qværamus & nos cum illis, atqve veræ qvæ sint causæ scisciteмur, *qvod nempe DEUS Ecclesiæ suæ in hujus vitæ periodo, res cœlestes seu divina mysteria per speculum atqve in ænigmate tantum cernere conceſſerit?* Qvæstio sane non inutilis, sed maxime necessaria, qvæ benè explicata atqve demonstrata animum à profanis cogitationibus immunem servat, atqve ordinem divinum summamqve consilii divini prudentiam illustrat. Sunt qvi ænigmaticum, symbolicum vel hieroglyphicum dicendi genus à prisca atqve superstitiosa gentilium antiqvitate derivant: qviqve DEUM in Veteri præsertim Testamento hac se ratione Israelitarum moribus accommodasse scribunt; cum Israelitæ Ægyptiorum aliarumqve gentium fuerint simiæ. Qvorum si seqvi velis sententiam, ut eruditissimus, sed profanus admodum in Belgio Criticus JOH. CLERICUS, Ανθρωποπάθειας, qvæ de DEO in S. Scriptura occurrunt, *Gentilismi Vestigia esse* asserit, hanc qvoqve docendi methodum hieroglyphicam s. ænigmaticam, typorum ceremonias, symbola & parabolas, *Gentilismi indicia* dicere possis. Qvod vero qvam alienum, qvam impium sit, qvilibet agnoscit, qvi Scripturas Sacras à Spiriru S. inspiritas, DEUMqve earum autorem serio asserit. Constat qvidem inter omnes, etiam

gentiles, Philosophos præsertim atqve Theologos occulti ejusmodi dicendi docendiqve genere delectatos fuisse. Poëtæ etiam, qvi & Theologi sive vates qvandoqve dicti sunt, qvoniam de diis carmina faciebant, qvales ex Græcis ORPHEUS, HOMERUS, HESIODUS; ex Latinis VIRGILIUS, OVIDIUS aliiqve fuerunt. Hi sane non DEOS solum humana forma fingebant, sed & Musas, virtutes atqve vitia; qvin Theologiam omnem, doctrinam Moralem atqve Physicam (qvæ inter Romanos olim ac alias gentes insignis Theologiæ pars habebatur) ænigmatum atqve hieroglyphicorum figuris, Symbolis, & fabularum imaginibus expressam tradiderunt. Neqve enim eo fuere gentium prudentiores animi stupore, ut omnino Poëtarum fabulas atqve Ovidii Methomorphoses veras esse crediderint. Id qvod in suis satis *de Natura Deorum* libris Cicero testatur; sed ænigmata & symbola ista figmenta esse judicabant, qvorum involucris insignis sapientiæ tegebatur thesaurus. Docuit hoc satis prolixe atqve erudite in doctissimo & jucundissimo Opere suo GERH. JOH. VOSSIUS *de Theologia Gentili & Physiologia Christiana s. de Origine ac Progressu Idololatriæ ad Veterum gesta ac rerum naturam reducta, deqve Naturæ Mirandis, qvibus homo adducitur ad DEUM.* Fuerunt adeo, qvi Mythicam gentilium

tilium Romanorum Græcorumqve Theologiam ex Moſe ejusqve actis manaſſe, atqve in fabulis eorum veram orbis conditi, aureæ in Paradiſo ætatis, primorum parentum lapſum, Adami, Noæ, Moſis, aliorumqve qvorum in Sacris mentio fit, hiſtoriam occultari, operoſe arguteqve demonſtratum iverunt. Inter qvos præcipuus eſt eruditiſſimus Epiſcopus DANIEL HUETIUS, qvi in *Demonſtratione Evangelica* Propoſ. IV. multis capitibus hanc rem perſeqvitur. Confer etiam *Ruperti aureas ad Synopſin Beſoldianam Obſervationes pag.* 11. *ſeq.* & Cel. D. BUDDEI Diſſertationem doctiſſimam, qvæ in *Analectis* ejus *hiſtoriæ Philoſophicæ* pag. 43. inſcribitur φιλόσοφος φιλόμυθος. *h. e. Philoſophus fabularum amator. Æſopus* ſane in fabulis ſuis inſignem moralis doctrinæ regulam occultat; & *Pythagoras* ſymbolico docendi genere uſus eſt, ſolebat enim breviſſimis ſententiis, plurimos atqve multivarios ſenſus, velut oraculis qvibusdam, ſymbolico qvodam modo apud ſuos explicare; prorſus uti Apollo, per brevia oraculorum effata, difficiles ſententias, ipſaqve natura per parva qvædam ſemina maxima & difficillima opera producit; dicente STANLEJO in Hiſtoria Philoſ. *Part. VIII.* de Pythag. *pag.* 787. qvo loco prolixe Pythogoræ ſymbola recenſet. Conf. etiam D. JOH. ALB. FABRICII inſignis illius

Germaniæ literatæ Ornamenti *Bibliothecam Græcam* Tom. I. Lib. II. p. 457. Orpheum adeo totius Philosophiæ symbolum fuisse, jam alii monuerunt, conf. Diss. BUDDEI paulo ante allegatam. In sacris præsertim cultuqve divino hieroglyphicorum ænigmatumqve insignem olim apud prudentiores gentilium fuisse usum *Plutarchus* commemorat in *Commentatione sua de Voce EI, foribus templi Delphici inscripta*; qva *pleraqve de diis occulta esse ænigmatis, rationemqve aliqvam & causæ explicationem desiderare* expresse affirmat, *Tom. II. Opp.* PLUTARCH. *p. m.* 384. *&c.* Sane in fingendis solvendisqve ænigmatis singularem prudentiæ vim atqve judicium positum judicarunt; notissimus etiam præsertim apud Orientales mos vetustissimus, virorum excellentium de ingenio inter se certantium, propositis ænigmatibus. Simsonis ænigma *Jud. XIII.* 12. notissimum est, qvod hospitibus solvendum proposuit. Regina etiam, cujus 1 *Reg. Cap. X.* mentio fit, Salomonis ingenium ænigmatum solutione tentare audet. Et *Josephus Antiq. Jud. Lib. VIII. Cap. II. p. m.* 267. narrat, Tyrium regem qvæstiones ænigmaticas ad Salomonem transmississe, qvas explicaret. Ægyptii præsertim hieroglyphico sive ænigmatico docendi dicendiqve genere exercitatissimi habebantur: qvæ sapientiam involucris occultandi consve-

consvetudo inde etiam ad alios dimanavit: utpote Arabes, Syros atqve adeo ad remotas Chinensium Provincias, qvorum characteres symbolici ingeniose satis excogitati, luculenta hujus rei vest gia monstant. Sinicam sane scribendi rationem hieroglyphicam Ægyptiæ persimilem esse HUETIUS *in Demonst. Evangel. Propos. IV. p. m.* 80. asserit; conf. etiam KIRCHERI *China Illustrata Parte III.* De qvo argumento prolixior disserendi causa foret, qvod & ab Ægyptiis Ebræi, ac Moses adeo, populi sui Dux ac primus in Ecclesia scriptor, scientiam suam hauserint. Sed brevitati studebo, præsertim cum viri magni suum in hoc argumento ingenium studiumqve excoluerint; post Orum sive *Horum Apollinem*, qvem qvidam *Horapollinem* vocant, qviqve Ægyptiaco sermone *Hieroglyphica* scripsit, JOH. PIERIUS VALERIANUS de hieroglyphicis seu de sacris Ægyptiorum aliarumqve gentium literis, Commentarios divulgavit: *Caussinus* etiam *de Symbolica Ægyptiorum sapientia* librum, itidem KIRCHERUS in rarissimo *Oedipo Ægyptiaco*. Plures scriptores vide in Polyhist. MORHO. *Tom. I. L. IV. C. II p. m* 724. *&c.* Doctrina itaqve hieroglyphica æqve ac aliis scientiis, qvæ inter Ægyptios prisci jam seculis florebant, Mosen imbutum fuisse nemo negat. Ipse STEPHANUS Protomartyr asserit, *Mo-*

sen omni Ægyptiorum sapientia eruditum fuisse Actor. VII. 20. PHILO Judæus *in Vita Mosis* prolixius hæc describit: *Numeros*, inqvit, *Geometriam, universamqve Musicam, Rhythmicam harmonicam metricam - - accepit ab Ægyptiis doctoribus, &* NB. *insuper occultam philosophiam descriptam literis, ut vocant, hieroglyphicis &c.* sed Mosen hisce Ægyptiorum scientiis imbutum, cum in Genesi rerum omnium origines tradere voluerit, hieroglyphico adeoqve Ægyptiaco scribendi genere usum esse, hinc non veram ubiqve historiam, sed ænigmata atqve hieroglyphica scribere, periculo non minus caret, qvam Clerici, Spenceri, Marshami atqve Grotii sententia ab aliis dudum refutata. Atqve hoc tamem Cl. WITTERUS (qvod verba ipsius supra allegata satis probant) in sua de *Juribus Israelitarum in Palæstinam* Commentatione asserit. Nec mirum, cum & idem doctissimus Vir cum Clerico, ipsam lingvam Hebræam à maledictis Chami posteris derivet atqve Chananæorum idioma fuisse contendat. vide ejus prolegomena dictæ Commentationis *pag.* 15. Qvæ vero Clerici sententia solide dudum refutata fuit à Viro Maxime Rever. D. ENGELKENIO, Prof. Rostoch. Celeberrimo in Dissertatione, qva *Ζήτημα, an Ἀνθρωποθύσιαι sint vestigia Gentilismi* proposuit, *p.* 62. *seq.* Qvi Clerici error omnino

omnino etiam h. l. nominandus est, qvod & Anthropopathiæ de DEO in Scriptura usurpatæ, suo modo ad figuratum atqve ænigmaticum docendi genus referri debeant. Adeo vero eorum origines, qvæ in S. Bibliis ut θεοπνευστα veneramur, profane jam à gentilium institutis, adeoqve ex ipsa superstitiosa idololatricarum gentium antiqvitate derivare volunt viri nominati. SPENCERUS etiam & MARSHAMUS Circumcisionem ante Abrahamum fuisse, & ab Ægyptiis pariter ad Judæos translatam esse docuerunt, ille in Tractatu *de Legibus Hebræorum*, hic vero *in Canone Chronico Ægypt.* sed à Viris Summis WITSIO, BASNAGE, van der Waeyen, B. D. GRAPIO aliisqve dudum refutati.

§. XII. Theologiæ ænigmaticæ origines à gentilium institutis atqve ritibus repetere, impium atqve profanum judicamus, adeoqve sanctiori ratione veræ hujus causæ investigandæ erunt. Qvæ vero istæ sunt? & qvare DEUS in hac vita mysteria divina velut in ænigmate qvodam nos docere voluit? qvamplures sunt causæ, tales vero, qvarum consideratio animum ad divinæ sapientiæ, bonitatis, ordinis & justitiæ admirationem rapit. Aperitissimum enim DIVINÆ SAPIENTIÆ indicium est, qvod, cum mysteria divina ἄρρητα ῥήματα sint, ut Paulus 2 *Cor. XII.* 4. inqvit, (de qvo dicto confer B.

FECHTII *Dissert. de Ineffabilibus Pauli verbis*)
DEUS tamen in Scripturis sacris sapienter modum invenerit, ut qvæ alias ob eminentiam & sublimitatem prorsus intelligi non possent, jam tamen ab hominibus suo modo sciri atqve intelligi qveant, modo qvis ordini & voluntati DEI in scrutandis S. literis obtemperare velit. Sapientissimum enim Numen res spirituales atqve invisibiles, corporearum rerum similitudine, allegoriis, ænigmatis atqve Symbolis prudenter visibiles qvasi & intellectu faciles reddidit, qvæ clarioribus deinde illustravit verbis, ne obscura laterent. Adeo prudenter stilum Scripturæ, phrases & dicendi genus temperavit Spiritus S. clariora obscurioribus, plana figuratis, simpliciora ænigmatibus miscens. Præterea, ut seduli pædagogi pro ingenio puerorum varias methodos atqve artificia adhibere solent, qvibus docilitatem vel acuant, vel tædium etiam discipulorum levent; ita DEUS qvoqve naturæ nostræ imbecillitati hoc Symbolico dicendi genere consulere voluit. In auditorum aures liqvidius influit similitudo qvam res ipsa; facilius hæret comparata, qvam nativa vox; ac obscurum sit, qvod figuratum; tamen cum propria dictio aut præcedit aut seqvitur, facile suas pervincit nebulas. Unde Salvator

tor παροιμίας locutus est & παῤῥησίας: Docilitatem acuit idem docendi genus, qvo auditores suos summus Propheta CHRISTUS tanqvam illicio invitavit, ut adirent, sciscitarentur, & sancto indaginis studio, clarioribus omnia radiis illustrari desiderarent. Sunt enim vera omnino illa AUGUSTINI & GREGORII apophtegmata: *Qvod difficilius qværitur, solet dulcius inveniri, nec putetis ista nobis obscuritate subtracta, sed difficultate condita. Scripturæ intelligentia si in cunctis aperta esset, vilescceret. In qvibusdam locis obscurioribus tanto majori dulcedine inventa reficit, qvanto majori labore fatigat animum qvæsita.* Qvæ prudenter monuit B. DANHAUERUS *in Hodosophiæ Proœmio pag. 1. seq* Adeo salubriter & magnifice, dicente AUGUSTINO, Spiritus S. modificavit Scripturas, ut locis apertioribus fami occurreret, obscurioribus autem fastidia detergeret. Magnus itaqve & multiplex in Scriptura S. ænigmatum est usus: auditorem rapiunt ad considerandum, memoriæ inhærent, lucem ingentem faciunt, cum intellecta fuerint; minore cum offensione audiuntur; præbent docentibus docendi ἐνέργειαν; faciunt ut fratres inter se communicent, una in scrutandis sensibus ænigmatum occupati; observante D. MICHAELI *in Anot. Bibl. ad Ezech. Cap. XVII. 1.* BONITATIS simul divinæ certissimum indicium est, hoc enim modo

 accom-

accommodavit Scripturam captui atqve imbecillitati intellectus noſtri. Hujus enim & imaginativæ, ut vocari ſolet, facultatis magna eſt corruptio, atqve de rebus ſpiritualibus vix ſine corporearum rerum imaginibus cogitare poſſumus. Conf. Cel. D. BUDDEI *Inſtit. Theol. Moral. Parte I. Cap. I. Sect. II, & V.* ſublimia itaqve myſteria homines imperitos rerumqve divinarum prorſus rudes viſibilium ſimilitudine DEUS docere voluit. Qvi enim à pueris & rudi plebe intelligi vult, ſermonem captui ipſorum accommodet neceſſe eſt: qvi feras avesqve capere gaudet, is omnino horum imitetur voces, ut ſic alliciat vocis, qvam percipiunt, imitamine; ita cum homines ſimus, humano more DEUS nobiſcum agit, humana forma Patriarchis apparuit, atqve humano etiam in Scriptura nobiſcum loqvitur ſermone. Bene JOH. DAMASCENUS, *L. I. Orthodoxæ Fidei C. XIV. p. m.* 50. edit Baſil. *de iis, quæ corporaliter de DEO dicuntur*, differens, obſervat: *Qvia plurima de DEO corporaliter in S. Scriptura ſymbolice myſticeqve & ſignificative dicta comperimus, ſcire nos decet, cum nos ipſi craſſo ſimus carnis indumento circumdati, nos minime poſſe divinas & ſubtiles & immateriales DEI operationes aut intelligere aut eloqvi, niſi imaginibus & formis & ſignificativis noſtro more uteretur ſignis. Qvæcunqve igitur de DEO corporaliter dicuntur, ſymbo-*

lice

licè dicta sunt: habent altiorem intelligentiam simplex enim divinitas & figuram nullam habens. Hæc Græcus ille Scriptor, interprete latino JOH. FABRO Stapulensi. Voluit enim benignissimum Numen nobis & placere & prodesse, divina mysteria in Scriptura S. describens *stilo hominis*, *Es. VIII. 1.* h. e. vulgari ac inter homines usitato ab omnibus legendo & intelligendo: ut in Annot. Bibl. à D. MICHAELE explicatur; qvicqvid etiam de hac phrasi doctissimus alias HUETIUS *in Demonst. Evangel. Prop. VII. §. 14. p. m. 292.* haud satis verecunde moneat. Considerent hoc superbi illi, sed inepti inter Christianos Philosophi (qvales videri volunt,) qvi dum ad qvandam sublimiorem rerum divinarum cognitionem perveniisse sibi videntur, humanum hoc atqve simplex docendi genus aspernantur; (qvos inter & Clericus, qvin in Comm. ad Genes. XVIII. *vix satis decere, ut summo Numini humana affuatur species, putat*) qvi potius cogitaverint, se non sine Scriptura tamen, qva inde à pueritia imbuti, profeciisse, qvæqve data sit ad erudiendos rudes, ita tamen ut & sapientissimi in ea habeant, qvæ discant. Cum vero ἀνθρωποπάθειαι omnino ad ænigmaticum sive symbolicum docendi genus referendæ sint, horum etiam tum generaliores, tum speciales causas prolixe ac erudite explicat DN D. ENGELKEN in laudata

data sæpius Dissertatione. Certissimum etiam divinæ gratiæ argumentum est; qvod qvæ ob pertinacem hominum malitiam sine summo ac præsentissimo periculo clare ac perspicue dici haud poterant, per ænigmata atqve obscuras rerum figuras verborumqve involucra significare voluerit. Hujusmodi qvamplurima in Prophetarum oraculis leguntur, qvæ si apertis verbis & plana dictione pronunciare voluissent viri à DEO inspirati, ista haud ferre potuisset mundus impius, sed vel primo momento Prophetas trucidasset. Atqve ideo etiam DEUS Apocalypsin, sive Ecclesiæ Novi Test. fata verborum involucris, forma dramatica, ænimaticis visionibus, verbisqve ex V. T. Prophetis ut plurimum desumtis texit, ne offenderentur nimium increduli, neqve noceret Ecclesiæ Christianiæ. Qvod bene observavit B. D. KROMAYERUS *in Comment. in Apocal.* in Dedicatione monens, *scriptum hoc provida DEI cura obscuritatis nonnihil habere* NB. *ne Christianis exitio esset.* ORDINIS DIVINI etiam in revelandis mysteriis illustre præbet argumentum hæc consideratio. Neqve enim uno tempore ac veluti momento omnes sapientiæ cœlestis thesauros aperire voluit DEUS, ne obrueret Ecclesiam atqve confunderet. Sicut enim prudentes Magistri non prima statim institutionis die omnia

erudi-

eruditionis arcana recludunt, nec enim intelligerent pueri, nec inde proficerent, sed tædio rerum ac multitudine imbecillis discipulorum intellectus obrueretur: Ita etiam DEUS paulatim ad majorem sublimioremqve subinde rerum divinarum cognitionem Ecclesiam prima ætate adhuc rudiorem adsvefacere voluit. *Infantili* Ecclesiæ ætate, qvæ fuit ante Patriarchas & Mosen exigua tradidit, nec nisi maxime necessaria: plura *puerili* ætate, qvam utpote licentiosiorem Lege veluti pædagogo coërcuit Mosis ævo, *Gall. III.* cumqve pueri picturis vehementer capiuntur, sicut & inter nos Bibliis imaginibus pictis (Bilder-Bibel) rectius, qvam alia methodo docentur: DEUS etiam mysteria CHRISTI & fidei non verbis æqve claris qvam typorum picturis ac ceremoniarum figuris eam ætatem instruere voluit, *Gal III.* 24. *Cap. IV.* 3. qvo loco methodus Vet. Testamenti atqve ceremoniæ ac typi *elementa* (prima rudimenta) *mundi* dicuntur, qvalia fuere templum, aræ victimæ & totus cultus Leviticus. Sane Judæorum adeo nonnulli doctores observarunt docente HUETIO *in Dem. Evang. Prop. IX. p. m.* 636. omnem Tabernaculi apparatum ad id præcipue instructum esse, *ut sit veluti Liber sapientiæ sublimioris & rei gloriosæ, ad qvam ista referuntur.* Et B. CALOVIUS *in Bibliis Illustr. ad Gal. IV.* 3. *p. m.*

3. p. m. 597. bene monuit: *Non propensioni* (qvod Grotii erat figmentum ad *loc. cit* scribentis, à DEO scilicet ritus ejusmodi, qvos Paulus elementa vocat, Israelitis esse impositos, ne horum amore ad idola delaberentur) *ad idololatriam sese accommodabat iisdem DEUS, sed pueritiæ eorum consulens, figuris & elememtis ipsos instruebat, & sapientia sua incomprehensibili prius umbris ceremoniarum desideria acuere qvam substantiam ipsam exhibere voluit.* Postqvam vero *adolevit* Ecclesia ætate Prophetarum, sublimioria horum oraculis docuit. Simulac vero Novi Testamenti exordio ex ephebis excessit, noluit DEUS amplius puerilem V. T. methodum ferre, atqve abolitis ceremoniis cultus Levitici, clare & perspicue mysteria fidei tradere cœpit. Exinde jam Ecclesia ad *virilem ætatem* profecta, conf. *Eph IV.* 13. Cum vero ad *senilem* pervenerit Ecclesia, non major qvidem mysteriorum fidei erit lux atq; cognitio, tamen ob rerum usum atqve multorum seculorum experientiam in Prophetarum, s. Apocalypseos explicatione insignior erit cognitio, qvam primis N. T. seculis: sed tamen simul, veluti in senio Ecclesiæ, etiam errorum ac improbitatis morbi inter impios, licet in Ecclesiæ societate degentes, simul cum ætate ingravescent. Pedibus in sententiam nostram it B. D. KROMAYERUS *in Comment. Apocal.* prudenter in dedicatione hæc scribens

bens : *Omne vaticinium, priusquam impleatur, anigma est; quando vero impletum est, à quolibet facile intelligitur. Angelus qui de futuris Danielem instruxerat, in his tandem verbis desinit: Vade in locum tuum, Daniel & hæc obsigna, quia futurum, ut in diebus novissimis multi sapientiam insignem ex iis eruant. Quo proprior autem consummationi seculi quis vixerit, eo pleniorem hujus libri cognitionem, vaticiniis propemodum omnibus eventu completis, pleniſſimam, quem dies extremus vivum deprehendet, habebit. Et hæc ratio est, cur Patres à complementis prædictionum remotiores, ab expositione hujus libri longius interdum aberraverint.* Adeo DEUS ordinis amantissimus, ut hominum ita Ecclesiæ etiam cuiqve ætati prudenter prospexit! Argute itaqve AMBROSIUS *L. I. Offic. CXLVIII.* inqvit: *Hic umbra, hic imago, illic veritas. Umbra in Lege, imago in Evangelio, veritas in cœlestibus. Tom. I. Opp. Ambros. p. m.* 30. Celeberrimus vero ille Crypto-Jansenianorum Caput PASHASIUS QVESNEL, insignis inter Pontificios Novi Testamenti interpres, ad *1. Cor. XIII. 12.* ordinem, gradus & incrementa cognitionis divinæ sic satis scite his verbis exprimit: *Adam par la lumiere naturelle voyoit Dieu dans les creatures comme dans un miroir. Le chretien par la foi le connoit comme a la lumiere d' une lampe au milieu de la nuit. Les saints le voyent au grand*

jour

jour de l' eternitè, dans ſa propre lamiere dans lui meme. La premiere doit aider la ſeconde, & la ſeconde doit faire ſoupire après la troiſieme. Sicut vero divinæ gratiæ, ita qvandoqve JUSTITIÆ VINDICIS indicium eſt, obſcurum illud ſeu ænigmaticum in Scriptura S. dicendi genus. Tanta ſæpe mentis eſt pravitas atqve ſtupor, ut claram lucem ferre haud poſſit. Sicut qvi diu tenebricoſo carcere incluſus fuit, cum ad ſolis conſpectum producitur cæcutit, atqve luce, qva alii inſigniter delectantur, vehementer offenditur: ita populo Judaico, qvia claram veritatis lucem haud ferebat, obſcurius atqve ænigmatice qvandoqve Prophetæ æqve ac CHRISTUS divina conſilia revelarunt: ut invitis licet ipſis è longinqvo veluti lux veritatis qvodammodo illuceſceret, adeoqve ſint inexcuſabiles. Qva vero gratia neglecta, prorſus demum ſublatum fuit verbi divini ac Prophetarum beneficium. Qvi enim habet, atqve legitimo modo primam gratiam (qvam rectius primum gratiæ gradum vocare poſſis, B. D. FECHTII *Diſſ. de Ordine Modoqve Gratiæ divinæ*) fide accipit, atqve in uſum pie convertit, ei & alia denuo eaqve major gratia offertur: datur enim ei qvi habet, ut majori ſubinde lumine illuſtretur, qvi vero non habent, ſive qvi oblatam à DEO gratiam reſpuunt, his auffertur, qvod habent: ut adeo

Judæis

Judæis, cum claram lucem, ſicut CHRISTI diſcipuli videre divinaqve conſilia ſine parabolarum involucris audire atqve intelligere non potuerint, jam ob cordis malitiam ac ſtuporem ænigmatice atqve parabolice tantum divina conſilia propoſita fuerint. Satis hoc ex noviſſimis CHRISTI concionibus in templo habitis apparet *Matth. XXI. 28. ſeq. Cap. XXII. 1. ſeq.* Aperte CHRISTUS divinum hoc conſilium juſtitiæqve vindicis argumentum ſignificat diſcipulis *Matth. XIII. v. 10 ſeq.* qvos tum de rebus ſacris ſolicitos, adeoqve de vero CHRISTI verborum ſenſu pie interrogantes ſeorſim informabat. Sed hæc qvodammodo de cauſis ænigmatum ſacrorum ſufficiant.

§. XIII. Neceſſaria vero etiam videtur illa tractatio, qvâ inqviritur, qvomodo verum Theologiæ Ænigmaticæ ſenſum aſſeqvi liceat? qvem ſi qvis ſcire cupit, opus eſt ut divinus obſervetur ordo, qvo neglecto, vitium eſt, non in luce, ſed in oculo. Unde fit, ad clariſſimam lucem ut cæcutiant, qvi præter & contra voluntatem DEI tractant ejus verbum. Si qvis voluerit voluntati Domini obtemperare, cognoſcet de doctrina ejus, inqvit, CHRISTUS *Joh. VII. 17.* Exigit autem voluntas divina I *Juſtam lucis applicationem*, ne ſub modio lateat. 2. *oculum ſpiritualem & illuminatum* jubare cœleſti precibus

impetrando, *pium simplicem*, minimeqve occupatum, docilem, exercitatum, scrutatorem juxta legitima interpretandi media. Qvæ sunt verba B. DANHAUERI *in Hodos. Phænom. I. p. m.* 51. Sane in explicandis præsertim ænigmatis atqve allegoriis sacris circumspectum & prudentem oportet esse doctorem. Divus Petrus de omni Scripturæ interpretatione monet, ne sit ἰδίας ἐπιλύσεως: qvæ divina regula hermenevtica maxime circa parabolas, allegorias atqve ænigmata Scripturæ observanda est. Facessant hinc qvi Curiæ Romanæ sunt assectæ, omnem S. literarum interpretationem juxta mentem Papæ Romani instituendam esse, asserentes. Facessant etiam, qvi Spiritum & Canonem internum, externo scriptoqve canoni prorsus adversum jactitant, atqve ex eo Scripturam S. explicare audent. Nec probandi, qvi nimium Philosophiæ Orientalium, Ægyptiacæ præsertim & Chaldaicæ mysticæ tribuunt, eamqve legitimum interpretandi Scripturam medium arbitantur: qvod fecit Autor alioqvin doctissimus *Prodomi Corporis Theologiæ* qvi anno 1682. Hagæ Comitum prodiit, de qvo libro æqvum ferunt judicium Autores Celeb. *in Relation Innoc. Anni* 1701. *pag.* 78. confer etiam qvæ in literatissima ad B. SCHOMERI *Colleg. Recent. Controv. Dissertatione proœmiali* §. 25. *pag.* 54. observantur.

Facessant

Faceſſant præterea omnes, qvi hypotheſibus domeſticis indulgendo Scripturæ ſenſum non eruunt, ſed inferunt. *Qvæ vero legitima ſit allegoriarum & ænigmatum ſacrorum interpretandi ratio atqve methodus*, non eſt noſtri inſtituti prolixius docere. Integrum hæc conſideratio reqvirit tractatum. Inter Judæos magni nominis Viros fuiſſe HUETIUS refert, qvi in eruendo genuino ænigmatum ſacrorum vel allegoriarum ſenſu elaborarunt; qvem vero haud invenire potuerunt, nondum per veram pœnitentiam atqve fidem in CHRISTUM ſublato ſpiſſo Moſis velamine. PHILO præſertim Judæus *Sacræ Legis Allegoriarum* librum ſcripſit, qvi inter Philonis opera, *pag.* 1687. *ſeq.* extat. *edit. Pariſ. anno* 1640. Is vero autor non tam obſcure dicta Scripturæ, ænigmata ſive allegorias ſacras explicat, qvam hiſtorias Moſis in allegorias convertit atqve obſcurat. Nec immerito ideo PHOTIUS *in Bibliotheca ſua Cod.* 103. 104. de Philone diſſerens arbitratur; *ab eo omnem allegoricum Scripturæ ſermonem in Eccleſiam promanaſſe*: ad qvem locum ANDR. SCOTTUS obſervat àdditqve: *per Origenem & Cyrillum, ut inter Latinos B. AMBROSIUS pleraqve à Philone mutuatus eſt.* Philonis vero ſcripta & citatus præſertim liber ſatis confirmant, qvantopere interpretes Scripturæ novitatis ſtudio, ſuo ingenio indulgentes ſibiqve in cogitatis

ſuis placentes, à veritate ſacrarum literarum recedant. Sane qvi ſacræ legis Allegoriarum librum legerit, dignam eſſe cenſuram cognoſcet, qvæ his verbis *pag.* 1091 in margine legitur: *Hic vero ferendus non eſt Philo tam impie Sacro Sanctæ Scripturæ autoritatem elevans.* Fidem enim ibi hiſtoriæ de Eva ex coſta Adami condita prorſus elevat, allegoricè omnia explicans, qvæ de origine ſexus muliebris à Moſe traduntur. Utinam nec in noſtra etiam Eccleſia eſſent, qvi neglecta Scripturæ litera, qvam Myſtici vilius qvandoqve habent, iisdem errorum vorticibus novitatis pruritu abſorberentur. Neqve tamen ob facilem abuſum hoc doctrinæ genus prorſus negligendum eſt; facilius enim eſt Chriſtianis qvam Judæis, errores evitare; nobis enim Novi Teſtam. fax præfertur, ex cujus luce typos Vet. Teſt. atqve allegorias curatius explicare poſſumus. Legi omnino merentur, qvæ HUETIUS *in Demonſtr. Evang. Propoſ. IX. Cap.* 171. de uſu Prophetiarum diſſerit; qvo loco §. 8. *Deuterotarum* etiam meminit, qvi inter Judæos Scripturarum Sacrarum Interpretes fuerunt, qviqve exponere ſoliti ſunt qvæ per ænigmata in iis ſunt adumbrata: qvos inter ii vero tantum admittebantur, qvi robuſta ac inſigni qvadam animi maturitate ac vi eſſent præditi. Prolixius de his EUSEBIUS *in Præparat. Evangel. Lib. XI. Cap. V.*

Cap. V. p. m. 513. hæc refert. *Qui apud illos Sapientiam profitebantur, ut eorum etiam animos, quos disciplinis suis imbuendos susciebant, ad illam capescendam acuerent, sacras iis sententias, plenasque gravitatis & honestatis historias, cum modulatis alternisque carminibus, certa numerorum lege comprehensis, problemata insuper atque ænigmata nonnullasque eruditas & allegoriis involutas quæstiones, cum verborum elegantia & suavi pro linguæ ratione dictionis lepore conjunctas, à teneris unguiculis ingerebant imo primariarum etiam disciplinarum Deuterotas quosdam habuere (sic enim literarum suarum Interpretes vocare soliti erant) qui res ænigmatis adumbratas, non vulgo quidem ac promiscue omnibus, sed iis tamen, qui ad eorum intelligentiam idonei censerentur, illustriori explicatione aperirent.*

§. XIV. Quæ cum ita hactenus à nobis sint disputata, quilibet facile cognoscet, quis Dissertationis hujus sit *scopus* atque propositum; scilicet ut insigni hoc exemplo atque argumento constaret, quæ sit in hujus vitæ periodo, intellectus nostri imbecillitas, adeoque & attemperata ac imperfecta admodum (si cum futuri seculi perfectione conferas) de rebus sacris notitia; ænigmatica nempe, atque obscura: ne scientiæ ac eruditionis Theologicæ opinione inflemur, solaque rerum sacrarum notitiâ acquiescamus; sed in vera fide ac inter assidua pietatis exercitia eâ rite

fruamur, atqve perfectam DEI ac mysteriorum divinorum cognitionem, qvæ vitæ æternæ pars erit non postrema, seriis suspiriis anhelemus: præterea etiam, ut qvousqve hujus vitæ usus à DEO nobis conceditur, cum semper in Theologia sive Scriptura Sacra ob rerum sublimitatem mentisqve infirmitatem multa nobis ænigmata videantur, ad quemcunqve etiam Theologicæ eruditionis gradum adscenderimus; eo majori diligentia ad ista scrutanda feramur. Absit itaqve, ut vel Paulinum hoc ad Corinthios dictum, vel nostra Meditatio serviat improbæ qvidlibet de rebus sacris sentiendi licentiæ profanorum, qvi nostro seculo magis magisqve emergunt, magnosqve sibi spiritus sumunt. Sane & hi suæ opinioni velificari Pauli hoc dictum opinantur, ut supra jam indicatum fuit. Argumentantur enim, qvodsi Theologia nostra Ænigmatica est, obscura est per se, incerta est, adeoqve nec Systematum Theologicorum vel usus, vel autoritas amplius erit; nec ulla ratio, qvare certum aliqvod doctrinæ cœlestis, articulis suis constans corpus confici posse statuamus, illudqve contra hæresium insidias sacrum & incolume conservare studeamus. Hunc scopum intuetur, huc collineat non indoctus Autor anonymus Libri. Der Ungarischen und Sevennischen Unruhen, qvi anno 1705. prodiit:

prodiit; argute qvidem is satis, sed non sine periculo argumentatus, hunc in modum scribit: So werden uns auch die göttliche Geheimnisse Heil. Schrifft *per condescendentiam* ἀνθρωποπαθῶς vorgestellet. Wie nun alles, was in Bildern und Gleichnissen vorgestellet wird, in einem *tertio comparationis* von uns muß begriffen werden; Da es ja nicht wohl möglich ist, daß ein anderer eine an sich ohndem unbegreiffliche Sache eben so und *sub eodem tertio* begreiffen könne; wird also, wenn man die Sache reifflich erweget, eine durchgängige Gleichheit der Meinungen wohl nicht zuhoffen noch zu *praetendiren* sey. At vero licet aliqvo modo verba hæc sano sensu intelligi possint, eodem tamen non dicta fuisse ab Autore à Celeberrimis *Innocuarum Relationum* Autoribus his verbis observatum. Die Absicht dieses und folgenden *Discurses* ist, erweisen, daß es mit der *Orthodoxie* und einig wahren Lehre nichts sey, sondern jeden seine wunderliche Glaubens-Meinungen müsten frey gelassen werden, man könne indessen doch im Geist einig seyn, Dis sollen obige Worte erweisen. Docte vero huic iidem Autores respondent: Es sey zuförderst falsch, daß alle göttliche Geheimnisse ἀνθρωποπαθῶς vorgestellet worden, und muß zuförderst unter Menschlichen Wörtern und *concepten* ein Unterscheid gemachet werden: jene allein machen keine ἀνθρωποπάθειαν, dergleichen sich gar nicht

findet bey den Glaubens-Artickeln; GOTT hat einen Sohn von Ewigkeit erzeuget, es sind 3. göttliche Personen; GOTT suchet aller Menschen Seligkeit ernstlich. Ferner ist es gar möglich, daß alle Menschen auch in solchen Glaubens-Puncten die durch Gleichnisse vorgestellet werden, *idem tertium comparationis* fassen, wenn nemlich dasselbe und kein anders in GOttes Wort vorgeschlagen wird. Ja solches *prætendiret* eben GOTT in seinen Wort, wenn wir die Sache reifflicher erwegen, und verwirfft diejenigen, die ausser seinem Wort andere *tertia Comparationis* suchen. Sane in V. T. severe DEUS prohibuit res spirituales, e. gr. Opus redemptionis aliaqve Messiæ beneficia aliis, qvam qvos ipse Mosen docuit, typis atqve figuris exprimere. Tabernaculum ideo, ejusqve partes, altare, sacrificia omnesqve cultus Levitici ceremonias solicite descripsit, qvæ severissimis legibus mutari vetuit; ut adeo idololátriæ reus fuerit, qvi pro arbitrio altaria cultumqve divinum fingebat. Voluit enim DEUS inconstans ac flexibile hominis ingenium & vagas profanasqve de DEO & divinis rebus cogitationes certis qvibusdam imaginum typis, ceremoniis, atqve ideis qvasi alligare, ut omnium idem esset cultus divinus: in Novo Test. pariter certam cultus divini rationem in verbo suo præscripsit; uci ordini ac voluntati Supremi Numinis ut

subjici-

subjiciamur, fidei obsequium omnino postulat. Quam igitur nobis DEUS in Scriptura expressit doctrinæ formam, eam teneamus, nec alias fingamus nobis ideas de rebus divinis, quam quas Scriptura S. suggerit. Qui vero Scripturæ loquendi & docendi methodum ut humilem fastidiunt, næ illi caveant, ne omnem tandem de DEO perdant notitiam atque Sceptici evadant; tales enim infensissimi Ecclesiæ hostes, omnem Scientiam sacram sublatum euntes, ipsa deniqve, quibus Theologia nostras innititur Scripturæ fundamenta, penitus evertunt.

§. XV. Verum enim vero licet Paulinum 1 *Cor. XIII.* 12. dictum neqvaqvam Theologiæ nostrati vel fidem, vel autoritatem deroget, qvin eandem confirmet; monendum tamen est, in ipsa divinarum rerum tractatione atqve Controversiis Theologicis magna opus esse prudentia ac sancta qvadam animi castimonia: ne cum divina mysteria sint sacra ænigmata, sublimia, intellectu humano majora, nimis curiose, philosophice atqve subtiliter in investigatione eorum versemur. Notissimum est Pauli monitum 1 *Tim. VI.* 4. 5. Sane qvi *Philosophiam Scripturæ interpretem* faciunt, ac Rationem arbitrum aut judicem Controversiarum Theologicarum statuunt, multum damni puriori doctrinæ inferunt: Sicut olim insignia illa

Scholasticorum Theologorum agmina, qvi ante Lutherum in Ecclesia late regnabant: licet enim nunc *Angelici & Seraphici* dicti fuerint, methodo tamen sua Scholastica, sive Aristotelica veram Orthodoxiam mirum in modum inqvinarunt, ac veritati cœlesti cladem fere intulerunt: qvorum superfluas, curiosas atqve subtiles nimis qvæstiones B. Lutherus & Melanchton, horumqve in Reformandi negotio strenui assectatores atqve comites, Herculeo sane labore proscripserunt: de qva re prolixius egi in *Historia Theologiæ Dogmaticæ*. Profecto qvi Theologiæ majestatem & mysteriorum divinoum sublimitatem serio cogitaverit, simulqve qvam imbecillis sit intellectus noster, & qvam exiguum sit, qvod adeo de rebus physicis (*Joh. III.* 8.) sciamus, consideraverit, is curiosas nimis & inutiles de rebus sacris vitabit qvæstiones! Pie CYPRIANUS vel rectius RUFFINUS *in Expositione Symboli Apost. p. m.* 248. scribit: *Non latet sententia illa sapientum, qvæ probe admodum dicit, de DEO dicere etiam veræ, periculosum est.* AUGUSTINUS, *DEUM melius sciri nesciendo* monuit; HILARIUS vero, *DEUM religione intelligendum, pietate profitendum, sensu vero prosequendum non esse, sed adorandum.* Qvid enim qværamus? nondum qvid simus, perfecte cognoscimus, atqve sublimiora curiosus in vestigare volumus?

animi

animi morbus est, male & superflue de DEO quærere, optime BASILIUS MAGNUS dixit. DEUM itaqve simplici fide, qvalem se in Scripturis S. revelavit & cognoscamus & veneremur. Qvando DEUS Abrahamum humana specie invisit, qvanqvam sanctus ille Patriarcha sciret, majorem DEUM esse, qvam qvi convivio obvio ac parabili, ut vulgo alii hospites, excipi possit; tamen qvia ut hospes, sive specie humana DEUS ad Abrahamum accessit, humano more eum excipit, licet cordis affectu DEUM illum adoret atqve celebret. Rex adeo mundanus, qvâ venit ad urbem figurâ sive titulo, ita coli atqve honorari vult: ultra nil audendum nec investigandum. Ænigmata sacra, simplici fide rectius, qvam curiosa investigatione solvuntur. Gnostici, Valentiniani aliiqve primorum seculorum hæretici suo satis docent exemplo, qvantum periculi afferat, ultra de rebus divinis sapere, qvam DEUS revelavit, suisqve deserta Scripturæ litera cogitationibus indulgere vel Icari more altius ad sublimiorem cognotionem assurgere, qvam hujus vitæ conditio & vires sinunt. IRENÆUS in scriptis suis dicti nostri Paulini usum contra ejusmodi hominum genus docuit; sæpius enim illud adversus seculi sui hæreses allegat atqve urget. Cum enim Valentiniani, Basilides

silides, aliiqve horum assecla altudines DEI se exqvisivisse, cæterisqve omnibus sapientiores esse jactarent, dicto hoc Paulino eos refutat. *L. II. adversus Hæreses c. 43. & 49. &c.* Pia sane oraculi hujus divini consideratio extrema vitare mediamqve viam tenere docet, ne vel curiosus in mysteria divina inqviramus, qvam per Scripturam licet, vel etiam ea, qvæ revelata sunt, turpiter ignoremus aut negemus. Qvam regulam ex *Prosperi Aqvitani* de Vocatione gentium *Libro I.* apprime allegat B. GEIERUS *in Commentario suo ad Proverb. Salom. Cap. XXV. v. 27. Qvæ DEUS occulta esse voluit, non sunt scrutanda, qvæ autem manifesta sunt, neganda, ne in illis illicite curiosi & istis damnabiliter inveniamur ingrati.* Qvodsi igitur mysteriorum divinorum rationes atqve causas, occultaqve DEI consilia capere perfecteque cognoscere non possumus, simplici tamen fide ea veneremur, qvâ maxime DEUS colitur. *Rom. IV.* 20. Id qvod prudenter ac pie observavit dudum magnum illud Angliæ atqve eruditi orbis decus *Baco de Verulamio Libro IX. de Augmentis scientiarum. Prærogativa DEI*, inqvit, *totum hominem complectitur, nec minus ad rationem, qvam ad voluntatem humanam extenditur: ut homo scilicet in universum se abneget, & accedat DEO. Qvare sicut Legi divinæ obedire tenemur, licet reluctetur voluntas*

voluntas, ita & verbo DEI fidem habere, licet reluctetur ratio. Etenim si ea duntaxat credamus, quæ sunt rationi nostræ consentanea, rebus assentimur, non autori: Quod etiam suspecta fidei testibus præstare solemus. At fides illa, quæ Abrahamo imputabatur ad justitiam, de hujusmodi re extitit, quam irrisui habebat Sarah, quæ hac in parte imago quædam erat rationis naturalis. Quanto igitur Mysterium aliquod divinum fuerit magis absonum, & incredibile; tanto plus in credendo exhibetur honoris DEO & fit victoria fidei nobilior. Adeo sanctè Politicus illustris, qvalis Baco fuit, fidem nobis commendat.

Atqve hæc sunto, qvæ hac vice Paulini oraculi occasione de *Theologia Ænigmatia* disserere volui. Mihi qvidem haud satis feciſſe videor, nec miror, si neqve aliis. Argumenti enim amplitudo atqve dignitas prolixiorem reqvirit consideratione & diligentiam. Facilem tamen spero veniam, si qvid defuerit, vel nec omnium expectationi fuerit satisfactum. Dissertationem enim, non integrum Tractatum scribere institui. Prolixiora & elaboratiora assiduæ Officii sacri meditationes ac labores publici non permittunt. Qvodsi nec ita B. Lector excusatum satis me habebis, ipsum Pauli oraculum atqve Dissertationis scopus veniam police. tur. Ἐκ μέρους γὰρ γινώσκομεν, καὶ ἐκ μέρους προφητεύομεν. Faxit vero DEUS per JESUM CHRIS-

CHRISTUM, ut fide integri atqve mente
ſancta ſervemur usqve eo dum vita æterna
frui contingat, qvâ cognitio noſtra omnis
perfecta erit, cui nihil prorſus deerit, ſed
omnia omnibus partibus ac numeris
expleta erint atqve
abſoluta.

S. D. G.



PROGRAMMA

B. D. A. J. DE KRAKEVITZ

S. S. Theol. D. ac Prof. Prim. Consistorii Regii Præsidis, Ducat. Pomer. & Princip. Rugiæ Sup. Gen. Universitatis Gryps. Pro Cancell. perpetui, & t. t. RECTORIS ac Facult. Theol. Decani

ad

DISSERTATIONEM INAVGVRALEM

D. G. F. STIEBERI,

de

THEOLOGIA ÆNIGMATICA,

d. 17. July. Anni MDCCXXII

Gryphiswaldiæ

ventilatam

qvo

AUCTORIS

Vitam & scripta

brevibus delineata exhibet.

ADmiranda Divinæ Providentiæ in Ecclesiam non minus qvam Politiam exempla quotidie quidem sunt obvia, verum, qvemadmodum maximus est eorum numerus, qvi ventrem pro Deo colunt, sic nemo mirabitur, pauciſſimos esse, qvi iisdem conquirendis & colligendis suam impendunt operam, aut gloriam istam, quæ ex iisdem Gubernatori hujus Universi Sapientissimo debetur, amplificant vel evehunt. Quotquot tamem divina luce colluſtrati incedunt, & Deum in Spiritu ac veritate adorant, optimé intelligunt, quantum gloriæ Sapientissimo Numini denegant, qui brutorum more vivunt & nulla ratione observant, quam provide & prudenter Suprema Majestas omnibus rebus præsit, & creaturas suas, modo & sibi & ipsis convenienti, ita flectat & dirigat, ut ea perficiantur, quæ vel ad Nominis sui gloriam illustrandam, vel ad salutem ac utilitatem hominum, quorum causa totum hoc quod conspicimus universum creavit, promovendam, quam maximé conducunt. Ampliſſimus hic esset dicendi campus, nisi instituti obstaret ratio, & negotiorum, quibus premor, cumulus aliud imperaret, adeoque vel tribus hac vice tantum attingam, quomodo Divina πρόνοια & in eo maxime conspicua sit, quod non solum certos quosdam homines, antequam ex utero

utero materno in hanc lucis auram egressi, in ministerium Ecclesiæ suæ præstandum destinet, qvod luculentissimo Prophetæ Jeremiæ exemplo abunde evictum esse autumo, sed & eos, qvos ad sacra obeunda officia segregatos esse vult, ita trahat ac svaviter moveat, ut voluntati ipsius tandem optemperent, licet ad tempus nil minus cogitaverint, vel longe aliud sibi eligendum esse vitæ genus fuerint persvasissimi. Exponant alii qvos norunt derelictis Militum vel Mercatorum scholis ad Theologiæ studium animum adplicuisse, vel ex Medicis factos esse Theologos, aut Jurisprudentiæ amore abdicato, sacræ Theologiæ se emancipasse: hoc pro certo habeo, imo certissimo, illos, qvi desertis Theologorum castris in aliena transeunt, nunqvam Ecclesiasticis destinatos fuisse a Deo officiis, qvotqvot vero, studiis suis prioribus postpositis, Theologiam tandem constanter amplexantur, divino consilio ejusmodi mutationem suscepisse. Habui in Academia Varniana, ante viginti sex & qvod excurrit annos, Commilitonem peregregium, hodie vero Amicum & in Christo Fratrem impense dilectum, qvi jactis probe in Sacro Theologiæ studio fundamentis, svasu aliorum & occasione sic ferente, postea Jurisprudentiæ factus est alumnus, eo cum successu, ut mox Viro cuidam Illustri

à secretis, postea omnibus coram foro litigantibus à consiliis esset, & tandem in certa qvadam civitate Consulari Dignitate reliqvis præcelleret. Verum enim vero Divina Providentia hunc virum suæ destinaverat Ecclesiæ, non autem politicis negotiis, hinc gravissimo affectus morbo, morsus sentiebat conscientiæ nulla ex parte remittentes, donec consilium caperet redeundi ad studia, qvibus á Deo destinatus erat, cum proposito, inserviendi Deo & Ecclesiæ, qvodcunqve etiam foret officium, in qvo gratum se Deo operarium exhibere posset. Mox cessabant conscientiæ morsus, & morbo feliciter superato pristinæ restituebatur valetudini. Vacabat isto tempore in illa ipsa urbe neqvaqvam incelebri, in qva Consulatus officio eousqve cum laude & omnium applausu præfuerat, Cantoratus; hanc non dedignabatur spartam, potius abdicato Consulatu, maluit ex divino bene placito in scholæ pulvere miseram qvam splendidam in curia agere vitam. Interea vix suum Deo probaverat obseqvium, cum ad pastoratum voceretur ruralem, qvem vero post aliqvot annorum decursum Deo sic disponente, cum alio commutare habuit, & qvidem in loco satis splendido, ubi amplissimo cœtui suum perqvam utiliter præstat operam, nec dubitandum est, si Deus vitam viresqve ipsi concesserit

cesserit, qvod meditullitus voveo, qvin majoribus adhuc præficiatur muneribus: siqvidem & eruditione Theologica solida & excellentibus à Deo instructus est donis, iisqve conspicuus est virtutibus, qvæ hominem Theologum decent non minus qvam ornant. Revocavit mihi in memoriam hoc exemplum plane memorabile *VIR Admodum Reverendus Præ-Nobilissimus atqve Doctissimus* DN. GEORGIUS FRIDERICUS STIEBERUS, omni jure S. S. Th. Candidatus nominandus, qvi anteqvam ad Academiam se conferret, motus potissimum Majorum suorum vestigiis, qvi licet omnes literis imbuti fuerant, nullum tamen suppeditabant vel sacro officio nobilitatum, vel Theologicis studiis insignem, sed omnes in jure vel dicendo, vel tractando nominis sibi acqvisiverant celebritatem, unde & ipse ad Juris studium animum applicare constituerat. Ast qvod Deo aliter visum, Divina qvoqve ex directione mutandum fuit; paulo enim ante qvam ad Academiam proficisci decerneret, per integrum semestre spatium occultus ac insolitus ipsum occupavit animi mœror, à qvo, ut & à continuis angoribus liberari non potuit, donec (*) votum nuncuparet & studia sua Deo

(*) *sic etiam B. D. JOH. GERHARDUS, magnus ille Ecclesiæ nostræ Theologus, vid.* Ubsens

Deo atqve Ecclesiæ consecraret. Qvo nuncupato, vehementior ille tristitiæ affectus, qvem nullis modis occultare aut celare antea poterat, nulla adhibita medicina, ultro cessavit. Qvis pius non mirabitur atqve deprædicabit admirandam hanc Dei providentiam, qvæ Virum hunc in commodum & emolumentum Ecclesiæ suæ natum, justo tempore etiam suæ Ecclesiæ vindicare voluit atqve sic præparare, ut electum esset organon, per qvod Nominis sui Sanctissimi innotescceret gloria, & multarum animarum æterna promoveretur salus. Qvantum jam jam præstiterit, nos edocere possunt publica ipsius scripta, partim Theologica, partim Historica, juxta annorum seriem hic commemoranda. D. MARTINI LUTHERI Gebet-Buch, so aus seinen eigenen Worten und Tomis genommen, und mit einer Vorrede von Lutheri sonderbahren Freudigkeit im Gebeth versehen, Superiorum autoritate ac sumptibus Anno 1710. Vorspiel der Historie der Reformation und Leben Lutheri, dem einreissenden Indifferentismo entgegen gesetzet; Anno jam indicato. *Historia Theologiæ Dogmaticæ Lutheri & Melanchthonis opera*

Leben der Kirchen *Scribenten sec. XVI. p. 657. de* GEORGIO SOHNIO *Theologo Reformato, aliisque mentionem haud faciam, qvanqvam prolixe de eo* Unsch. Nachr. *anni* 1728. *p.* 879.

opera restituta, qva & integra de hujus Locis Theologicis Historica Commentatio exhibetur, Historia Arnoldina Anno 1712. *& recusa a.* 1719 Mecklenburgische Kirchen-Historie von Stiftung der Christl. Kirchen unter den Wenden, anno 1714. JOH. MATTHESII Historische Predigten vom Leben Lutheri und dessen Reformation, *addita nova præfatione* ARNOLDO *aliisqve pariter oppositæ*, ut appropinqvante tum paulatim Jubilæi Lutherani festivitate Lectorum animos ad deprædicandum tantum Dei beneficium excitaret; Anno 1715. Leben des Hertzogs MAGNI zu Mecklenburg, Ersten Evangelischen Bischoffs zu Sverin anno 1716. & an. 1721 Mecklenburgische Historie der Gelehrsan Zeit. Die gecreutzigte Vernunfft Indifferentistis anno 1722. opposita & alia tum suo, tum absqve nomine edita. Qvæ scripta solidam non minus in Theologicis eruditionem, qvam ardentissimam in Deum & Ecclesiam pietatem spirantia, partim in Actis Eruditorum, partim à Celeb. AUTORIBUS der unsch. Nachrichten, des neuen Bücher-Saals, der gelehrten Fama, aliisqve æqvis librorum Censoribus recensita atqve approbata novimus. Vidi qvoqve in MSt. die Gedächtniß-Säule der Durchl. Fürstin MAGDALENÆ SIBYLLÆ, Hertzogin zu Mecklenburg. Qvo scripto & pietatem devotumqve in Clementissimam Ducem suam Beatam animum testatur & Po-

steris etiam Tantæ tamqve Piæ Principis Longævæ rarissimum exemplum commendat. Dignum omnino hoc scriptum judico, qvod qvamprimum publica donetur luce. Novi præterea, qvod & alia *Candidatus Nesster Egregius* exaraverit scripta prelum expectantia, sed qvæ commendari meretur, ipsius modestia non permittit, ut eorumdem hic uberiorem & distinctam faciam mentionem. Qvid autem ab hoc Viro Eruditissimo, Purioris doctrinæ amantissimo, & sinceriori pietatis studio qvam maxime dedito, sibi non imposterum poterit promittere Ecclesia nostra Lutherana, qvæ fortes ac prudentes hodie desiderat Theologos? Meretur hic *Candidatus*, ui vitæ ipsius curriculum huc usqve laudatissime peractum nobis innotescat, Agnoscit primum hujus vitæ beneficium Honestis Probisqve Parentibus natum esse, ex qvo capite devotissimas Deo suo persolvit grates, qvod Majores, sive Paternum, sive Maternum investigaveris Genus, per aliqvot secula in magna virtutum & dignitatum fuerint laude. *Patrem* veneratus est JOHANNEM FRIDERICUM STIEBER, J. U. D. Spiræ in Camera Imperiali primum Advocatum ac diversorum Principum Imperii, ac Serenissimi præsertim Regentis olim Ducis Mecklenburgici GUSTAVI ADOLPHI Consiliarium Extraordinarium, qvi post flebilem

Spiræ

Spiræ Nemetum ruinam in Saxoni m inferiorem delatus Duci Saxo Lauenbürgico JULIO FRANCISCO, ultimo ſtirpis ſuæ Principi in illuſtri Regimine à conſiliis aulic s fuit: Qvo defuncto Guſtroviam vocatus, jam dicti Sereniſſimi GVSTAVI ADOLPHI p. m. ultimi pariter Lineæ ſuæ Ducis, in Cancellaria juſtitiæ Conſiliarius, natus 1646. denatus 1704. *Avus Paternus* JOH. ULRICUS STIEBER, J U. D. Cameræ Imperialis, qvæ Spiræ erat pariter Advocatus & Procurator Senior, Regis Daniæ, Electoris Saxon. & Brandeb. nec non Ducum Brunſvic. ac Würtenberg. Conſiliarius, natus 1602 denat. 1673. *Pro Avus* HENR. STIEBER. J.U. D. Cameræ Imprialis primum Advocatus, poſtea Sereniſſimi Comitis Palatini Neoburgici Conſiliarius, natus 1569. denatus 162. *Abavus* JOH. STIEBER, JCtus inſignis, Sereniſſimi Comitis Palatini Bipontini Cancellarius primusqve Status Miniſter, natus 1525. denatus 1585. *Abavus* JAC. STIEBER, J. U. D. & Electoris Moguntini Conſiliarius, natus 1465. denatus 1530. De horum Virorum meritis non ſolæ conciones funebres, ſed & ephitaphia paſſim, præſertim qvod Brunſvici in templo B. Martini, in honorem Conjugis B. ULRICI HENR. STIEBERI, Sereniſſ. Ducum. Luneb. Conſiliarii erectum conſpicitur, aliaqve monumenta teſtantur hiſtorica.

Avia Paterna fuit AGATHA BARBARA de MERCKELBACH generosa stirpe orta. *Parens* enim erat THOMAS de MERCKELBACH, Assessor Cameræ Imperialis; *Avus* vero GODOFR. de MERCELBACH Hæreditarius in Dalheim, & *Pro Avus* REINHARDUS de MERCKELBACH, pariter Hereditarus in Dalheim, *Abavus* JOHANNES de MERCKELBACH, Hæreditarius in Merckelbach, in Ducatu Juliacensi. *Matrem* filiali obseqvio colit JULIANAM URSULAM, qvæ cum sit Matrona & belli, & incendii, & exilii, & fortunæ & viduitatis, aliarumqve adversitatum difficultatibus excercitata, divino tamen solatio atqve virtute sustentata, hactenus atqve confirmata, ita porro Eandem ut diutius superstitem esse velit Supremum Numen exopat. Nata est Pientissima hæc Matrona anno 1658 & *Patrem* habuit JOH. SAM. BRUNNERUM, Cameræ Imperialis Assessorem Splendidissimun; *Avum* JOH. WOLFFG. BRUNNERUM, JCtum atqve Civitatis in Franconia non incelebris Kitzingensis Consulem meritissimum; *Pro Avum* GEORG. BRUNNERUM, Assessorem in Cameræ Imperiali celeberrimum; *Abavum* MICHAELEM BRUNNERUM, Civitatis Egræ Patricium & Consulem inclytum, nec non Hæreditarium in Lehenstein; *Abavum* ERHARDUM BRUNNERUM, pariter Patricium

cium & Consulem Egranum. His Parentibus & Majoribus ortus *Candidatus Noster* Spiræ Nemetum d. 6. Julii circa horam vespertinam octavam Anno 1684. Qvod qvidem tempus lætam spem patriæ fecit, siqvidem hoc anno Induciæ vicennales Imperii Ratisbonæ cum Gallorum Rege pactæ sunt, sed vix trium heu! annorum hæ belli fuerunt feriæ. Conf. *Theatrum Europæum Tom. XII.* & ARTOPOEI *Comment. in* SCHRADERI *Tab. Chronolog. ad an.* 1684. Anno enim seqventi 1685. cum ultimus lineæ suæ Elector Palatinus CAROLUS decederet, funestum illud atqve exitiale bellum Gallicum denuo conflatum est; qvo sicut aliis ad Rhenum provinciis, ita Reipubliccæ præsertim Spirensi non sine insigni Germaniæ detrimento clades illata est. Fuit enim *Spira Nemetum* à perluente rivo atqve pr. scis tractus ejus incolis sic dicta, omnium fere in Germania Liberarum Imperii Civitatum antiqvissima, & multis Imperatorum monumentis, Comitiis, ac perpetuo Imperii Foro, sive ut dici solet, Camera celeberrima. Cujus origines ac incrementa perudite literis consignavit LEHMANNUS in *Chronico Spirensi*, libro, qvi singulis Historiæ Germanicæ Cultoribus commendatissimus esse debet. Qvanqvam vero carum sit patriæ nomen & dulce natale solum, qvod inter reliqvas Germaniæ provincias

fertilissimum cunctisqve deliciis affluens est, ejus tamen haud gustavit delicias STIEBERUS. Nam cum anno 1688. & 1689 in communi civitatum Palatinatus Inferioris, qvi ad Rhenum est, *Heidelbergæ* præsertim, *Manhemii*, *Wormatiæ*, *Franckendalii* aliorumqve oppidorum fatali excidio *Spira* qvoqve contra datam Gallorum fidem à famoso illo incendiariorum facile principe Comite de Melac funditus esset deleta, (de cujus flebili ruina, vide *Theatr. Europ. Tom. XIII.* JÆGERI *Hist. Eccles. Libr VIII. c. 3. Lib. IX. c. 4.*) intèr innumeros exules, qvi cum splendidissimis opulentissimisqve in Palatinatu familiis ad incitas redacti, ob Gallorum rabiem, incendia & rapinam, STIEBERUS puerulus admodum cum parentibus suis Francofurtum ad Mœnum confugere exulqve patria carere coactus fuit. Dura itaqve usus pueritia atqve adolescentia, qvam inter itinerum & exilii molestias variasqve fortunæ novercantis vicissitudines transegit, non sine aliqvo studiorum suorum, qvibus puerilis ætas impertiri solet, ob locorum, Scholarum & Præceptorum crebras mutationes, detrimento. Spirâ enim prorsus miserando modo in cineres redacta, Francofurto ad Mœnum longo itinere in Saxoniam inferiorem à Sereniss. Duce JULIO FRANCISCO anno 1689. vocatus Parens una cum familia magnis

gnis

gnis sumptibus Raceburgum contendit, ubi absenti tum in Bohemia Duci in regimine Ducatus Saxo-Lauenburgici à consiliis fuit. Gratum hoc post belli atqve incendii calamitatem fuit providentiæ divinæ testimonium, sed decurtata tamen affulgentis spei tranqvillitas. Principe enim eodem qvo Raceburgum venerat anno, nempe 1689. in Bohemia defuncto, cum hæredem masculum non reliqvisset, rebusqve sic in Ducatu Saxo-Lauenburgico omnibus conversis, rursus novercantis fortunæ vicem subire coactus est. Hamburgi itaqve per biennium privatus cum familia vixit. Hinc clementissime à p. m. Principe Sereniſſimo ac Dno. DN. GUSTAVO ADOLPHO, Duce regente Mecklenburg. anno 1693. Gustroviam accessitus, ei in Cancellaria (ut vocant) Ducali Justitiæ à Consiliis fuit. Sed hoc qvoqve Duce Clementissimo, nondum exacto Gustroviæ biennio, anno 1695. sine prole masculâ decedente, novas denuo vidit vicissitudines. Inter has atqve alias difficultates GEORG. FRID. STIEBER Ao. 1704. Patre suo optimè Merito orbatus in Gymnasio Gustrovienſi literis incubuit, qvi Præceptorum suorum omnium fidem gratamente deprædicat, præsertim vero B. Domini OTTONIS, Rectoris hujus Gymnasii celeberrimi. Hoc Præceptore svaviſſimo

sæpius

sæpius publica panegyri peroravit. Anno 1702. d. 28. Martii, die natali Sereniſſimi Ducis, Carmine Latino FRIDERICO WILHELMO gl. m. Duci Regenti Mecklenburgico gratulatus eſt. Rurſus anno ſeqventi. Denuo cum Sereniſſ. Dux Caſſellis nuptiis celebratis, Sereniſſimam Conjugem SOPHIAM CHARLOTTAM, prudentiæ aliarumqve virtutum gloria admirabilem Sverinum deduceret, Carmine Germanico, *de pervetuſti regiique Stemmatis Seren. Ducum Mecklenburgenſium gloria* publica ſolennitate utriqve Sereniſſimo Conjugi gratulatus eſt; qvæ oratio etiam mandato Superiorum typis expreſſa extat. Sub ejusdem etiam Præceptoris qvondam dulciſſimi præſidio in eodem Gymnaſio publice, anteqvam ad Academiam Roſtochienſem ſe conferret, diſputavit. In Academia autem Roſtochienſi, inde à prima origine ad noſtra usqve tempora celeberrima, uſus eſt informatione Profeſſorum celeberrimorum privatâ partim, partim publica, conſiliis etiam eorum atqve ſcriptis non parum adjutus, qvorum præſidio atqve curâ tum in doctrina Chriſtianâ, tum Diſputando atqve aliis etiam exercitiis Theologicis animum confirmare ſtudebat. Inter hos vero fuere Viri beatè jam in Chriſto defuncti & per orbem Chriſtianum celeberrimi D. FECHTIUS, (cujus meritorum memo-

memoriam nulla unqvam oblivio delebit) atqve D. GRAPIUS in Theologicis, Philologicis ac Philosophicis admodum excellens. In Philosophicis tamen atqve Philologicis singularem deprædicat fidem atqve industriam Summè Rever. D. ENGELKENII & D. ÆPINI, Professorum jam Theologiæ celeberrimorum. Mea qvoqve qvalicunqve tunc usus fuit manuductione, Fundamentis itaqve Studii Theologici in dicta Academia jactis, in Saxoniam Superiorem deinde profectus, ibidem Academias visitaturus; Halæ vero Saxonum (qvo loco ob affinis cujusdam B. BRUNNERI, Consiliarii qvondam aulici Magdeburgici celeberrimi, stipendium, fere biennium commoratus) curatius controversias, qvæ hanc inter atqve alias Academias in hunc usqve diem ductæ sunt, cognoscere licuit. Coram enim audivit celeberrimos Academiæ Hallensis tum Professores, D. BREITHAUPT, jam Abbatem Bergensem, Theologica tum dogmata tradentem; D. B. ANTHONI, Scripturam S. & Libros Symb. explicantem. DN. A. H. FRANCKIUM Studiosos Theologiæ paræneticis lectionibus ad pietatis & futuri officii sacri exercitia excitantem, D. MICHAELIS Biblia S. interpretantem aliosqve; qvorum ut merita non ingrato animo recolit, ita doctrinam atqve sententias juxta Berrhoensium

ensium exemplum ad Scripturæ S. examen, qvantum per ætatem licuit. revocavit. Postea Rostochium repetiit STIEBERUS, atqve ibi novis priscorum Doctorum suorum præsertim vero D. SIEBRANDII, Juris jam Professoris integerrimi meritis redux cumulatus. Servet eos Deus cum universa Academia sub Regimine Sereniſſimi sui Patroni, CAROLI LEOPOLDI, Ducis Regnantis Mecklenburgici incolumes, salvos atqve superstites! Gustroviam deinde se contulit STIEBERUS, ut senescenti paulatim Matri præsto esset. In eadem Civitate deniqve in aulam vocatus à relicta GUSTAVI ADOLPHI, Ducis glorioſe qvondam regnantis Vidua Sereniſſima MAGDALENA SIBYLLA, qvæ, ut & Ephebis Nobilibus & Bibliothecæ simul præesset, clementiſſimè voluit. Anno 1712. literis Sereniſſimæ AUGUSTÆ MARIÆ, Sereniſſ. Marchionis FRIDERICI MAGNI relictæ Viduæ Durlacum vocatus, ut in aula ipsius Concionatoris aulici munere fungeretur: Sed cum eodem anno in Aula Gustrovienſi Summe Reverendus JOACHIMUS SCHROEDERUS, Superintendens ac Concionator Aulicus per multos annos graviſſimus d. 29. Decembr. placida morte é vivis migraret, Sereniſſima MAGDALENA SIBYLLA una cum Sereniſſima Principe Filia AUGUSTA verè Augusta, omniqve laude majore

majore, ad Sacrum in aula munus eum vocavit, dato clementissimo vocationis diplomate, qvo ut & à confessionibus & concionibus sacris Ipsis esset, gratiosissimè mandatum fuit. Facit omnino in commendationem *Candidati Nostri*, ut ipsissima hic adducam verba ex Literis Vocationis, qvæ testantur, qvas vocandi STIEBERUM Nostrum causas habuerint Sereniss. Duces Mecklenburgicæ: Demnach wir entschlossen, die jetzo bey unserer hiesigen Schloß-Kirchen *vacirende* Hoff-Prediger Stelle hinwieder zubesetzen, und dazu eure Person zu beruffen, in Betracht Uns Euere Persohn der gestalt längsten angerühmet, auch wir aus der von Euch in wehrender Zeit Ihr bey unserem Hofe *engagiret* gewesen, geführten *Conduite* uns selbsten die Versicherung geben, daß an Euren Glaubens-Bekenntniß der reinen und wahren Religion, Gottseeligkeit und unsträfflichen Wandel und Leben, imgleichen an warhaffter und gründlicher *Pietät* und Gottgelassenheit wir nicht zweiffeln. Als haben wir Euch ꝛc. ꝛc. In sacro hoc officio per decennium divino solatio atqve robore sustentatus versatur adhuc, atqve tum Beatissimi jam Ducis suæ MAGDALENÆ SIBYLLÆ, tum superstitis, etiam Sereniss*æ* Principis AUGUSTÆ, singularem humilime deprædicat Gratiam. Felicissimus omnino fuit *STIEBERUS Noster*, qvod in aulam

vocatus

vocatus, Dominas ac Duces humillima mentis subjectione venerari potuerit, qvarum in Deum pietas adeo excellens, ut vix Earundem similes reperire liceat. Taceo rariores imo rarissimas illas Virtutes, qvibus Serenissimæ Illæ Animæ non solas Mecklenburgicas, sed omnes qvoqve adiacentes terras in Sui admirationem & cultum pertraxerunt obseqviosissimum. Incomparabilis qvidem MAGDALENA SIBYLLA nullis nostris amplius indiget votis, siqvidem perfectissimis jam repleta gaudiis inter Cœlites degit, & gloria ac honore coronata ineffabiles Cœlorum experitur delicias; Principi tamen Ejus Filiæ AUGUSTÆ vere Augustæ, cum *STIEBERO Nostro* millenas apprecor felicitates. Debet hoc uterqve nostrûm innumeris illis Gratiis ac Clementissimi Favoris documentis, qvibus per tot annorum decursus nunqvam non nobis fuit Gratiosissima. Servet Supremus hujus Universi Dominus *SERENITATEM Ejus* in seros usqve annos, serenissima omniqve ex parte beatissima fortuna fruentem, & avertat clementissime, qvodcunqve in sincero fidei aut pietatis studio remoram objicere valet. Exaudiat Animæ hujus Devotissimæ suspiria non minus qvam preces, & coronet Eandem omnigena benedictione, Sic nullus dubito, qvin *Serenissima*

reniſſima PRINCEPS benedictionum ſuarum rivulis irrigatura & impoſterum ſit futurum STIEBERUM, qui humillima & obſeqviosiſſima mente colit ac veneratur Divinas AUGUSTÆ ſuæ *PRINCIPIS* Virtutes nunqvam intermorituras. De STIEBERO autem Facultatis noſtræ hodie Candidato Digniſſimo adhuc ſignificandum habeo, qvod non vanæ ambitionis gloria ſed divinæ gloriæ promovendæ ſtudio atqve ardore ſtimulatus, & *Sereniſſimæ PRINCIPIS ſuæ* Clementiſſima Voluntate jubente excitatus, conſilium ceperit de impetrandis ſupremis in Theologia honoribus. Ne tamen qvispiam opinari poſſit, nos in iisdem conferendis juſto liberaliores fuiſſe, omnibus ac ſingulis ſeſe libens lubensqve ſubmiſit explorationibus. Qvas inter cum nulla alia reſtet, qvam qvæ in ſolenni *Diſputatione Inaugurali* exigitur, conſcripſit eruditiſſimam de THEOLOGIA ÆNIGMATICA Diſſertationem, qvam Eruditorum examini ad proximum decimum ſeptimum currentis menſis diem exponere paratiſſimus eſt. Ut vero *Omnium Collegiorum ac Ordinum Proceres atqve Antiſtites Generoſi, Præ-Nobiliſſimi atqve Fulgigiſſimi* una cum *Lectiſſima Studioſorum Corona* huno

actum inaugralem exoptatissima sua præsentia condecorare haud graventur, meo & Collegii Theologici nomine enixissime oro atqve contendo.

P. P. sub Sigillo Fac Theol.
d. 12. Julii Anno MDCCXXII.

Sphalmata Typographica:

Pag. 25. §. II. Theologia pro Theologiam. p. 35. l. 19 Sanè pro Sana p. 36 l. 7. sint pro sine p. 37. generationis pro generationi. p. 38. l. 15. profundissimis pro profundissimus. l. 39. l. 5 à fine. sidei pro fide. p. 41. l. 15. Aaron *qvibus* Civiles. p. 42. l. 17. qvam plurimis pro plurimus. p. 46. l. 3. à fin. suis pro suia. p. 90. l. 14 divinorum pro divinoum.



VIT AM

VITAM FIDELIUM ÆNIGMATICAM,

Viasque Dei & Consilia, abstrusissima esse

ÆNIGMATA,

Autoris exemplo & propria edoctus experientia,

SVMMOS ILLI IN THEOLOGIA HONORES

gratulaturus,

brevibus exposuit

DAVID SANDOW,

Gymnasii Gustrov. Con-Rector.

Votivos inter concentus, pulpita Pindi
Queis resonant *Gryphici*, Doctoralesque paratus,
Et calamos inflare leves, raucumque canoris
Se cygnis miscere, quid hoc? Dementia certe,
Aut simile huic aliquid dicendum. Protinus ergo,
Hanc ingressa viam, retro vestigia flectas,
Et tecum discas habitare Scholastica Musa!

Hæc tacitis mecum volvebam sensibus, illud,
Quo placuisse student alii Fautoribus, ore,
Aut calamo cupiens testari, dulcibus horis,
Queis Doctorali cinguntur tempora serto
FAUTORIS, sincerus amor quem junxit, ab annis

Jam multis, variaque mihi ratione probavit.
Non ſacris, STIEBERE, Tuis, ſollemnibus iſtis,
Siſtere me propius, *Gryphicumque* adſcendere Pindum
Auderem, tenui modulatus arundine carmen;
Ni Tua, jam longo mihi cognita tempore, virtus,
Nec minimos reprobans conatus, grata ferendi,
Adderet hic animum: nugas quidem eſſe putabis,
Sed nugis onerare Tuas non expedit aures!
Ambages igitur mittens, ad Sacra propinquo,
Hoc oblaturus, fuci quod neſcia dextra
Jungere jam potuit numeris, minimeque ſonoris.
Theologia *Tibi* vinclo ſe junxit amico,
Ex quo mœrores animi, luctantia vota,
Non alia vinci didiciſti lege, nec amplos
Curarum minui cumulos, niſi talibus auſis,
Poſſe exploraſti. Quanta hæc *ænigmata* primum
Eſſe videbantur *Tibi*, cujus pectus amore
Flagrabat Themidos! Te ſed ſacra jura volebant,
Juſtitiæ multo meliori jure Sacerdos
Debueras dici. Certe quos SUMMUS honore
Dignatur, jubet noſce prius horrentia dumis
Perreptare loca, & per tot diſcrimina rerum,
Ad meliora cupit deducere. Credis id ipſum?
Credis

Credis, & expertus, certo solamine, mœstum,
Cui dubiam crebrò traxit sententia mentem,
Qua tandem ratione atris emergere curis,
Sistere qua tandem navem statione liceret?
Erexisti, illo proponens Numen amicos
Ordine, per varios casus, ductare Tuoque,
(Dissimulare nefas fuerit!) mœrentia corda,
Exemplo, & vivo solamine sæpe levasti.
Sic Te, sic alios solatus, turbida firmo
Excepisti animo, vicisti Academica cœtus
Indomiti, multos quæ fallunt, scandala: doctas
Non tantum coluisse animum *Tibi* cura, per artes;
Sed pietas pariter cordi fuit, illa JEHOVÆ,
Quam toties nobis mandat, gratissima virtus.
Non *Te*, quod multos, odium deterruit, isti
Quod facile incurrunt, quibus hæc primaria cura,
Ut pia conjungant doctis, spectrumque vocare
Id malint, veri specie quod sæpe fefellit.
Nec fructu caruit grato labor ille, JEHOVÆ,
Et Musis sacratus. Abunde hæc dicere possem,
Ni Tua me Pietas partim, experientia partim
Hoc à proposito citius revocaret; in ipsa

Dum posita hæc sunt luce. Tuos, *Güstroa*, labores
Monstravit primum, qualis Doctisque, Piisque,
Omni deberes reputari jure, fovebat
Conatus simul *Aula* Tuos, majoribus aptum
Te cernens, postquam mandato munere fungi,
Quod primum impositum est, *Te* vidit, mactat honore
Verbi Præconis Divini! *Ænigmata* multa
Hic *Tibi* sunt objecta; DEI sed provida semper
Cura Tibi præsto fuit, obscuriusque serenam
Affudit lucem; multu. Tibi profuit *Aula!*
Sed, postquam *Güstroa* Decus deplorat ademtum,
Æternam in sedem MAGDALENA abeunte SIBYLLA,
AUGUSTAQUE Pia nostræ (O! si id fata negassent!)
Triste vale dicente urbi, *Te* blandior aura
Dargunensis alit, nec Te tam ruris amœni
Hic facies retinet, quam quæ pulcherrima Pindus
Serta suis monstrat, tribuitque, labore tenaci,
Non indefessa cursu pergentibus! Ambis,
Quod poteras dudum! Verum, & sic fata tulere,

Sic

Sic GRYPHICIS voluere Tuas monſtrare cathedris
Dotes! quas magnus celebravit FECHTIUS olim,
Quas genere & meritis fulgens KRAKEVITZIUS ornat,
Elogiis dignis. Sed & hic *ænigmata* rurſus
Objiciunt ſeſe nobis, multisque videtur
Ænigma hocce decus; quibus hæc tamen Ipſe reſolvis,
Egregie monſtrans, multis *ænigmata* ſacris
Eſſe, nec ad plenam nos nic pertingere lucem. (a)
Sis igitur felix, tanto decoratus honore,
Vir ſumme Reverende! Tuas Eccleſia porro
Miretur dotes! Dudum qui dulcia moeſtis
Promere, qui verbum ſic diſpenſare, cuique,
Ut fas eſt, noſti! Cumulentur dona SUPREMI,
Et nova DOCTORI tribuantur robora, juſto
Qui titulum ſtudio voluit ſibi quærere, noſtris
Ut non immerito placuit Majoribus auctos
Qui titulis tantis aliis proponere, laudi
Duxerunt ſibi. Nempe velut Reſpublica multos
Egregiis ornat titulis, aliisque miniſtras
Vult illos præbere manus; Eccleſia ſane
Sic ſibi Doctores legit, Oeconomosque Sacrorum,
Nunc

(a) *In Diſp. Inaug. De Theologia Ænigmatica.*

Nunc his, nunc illis titulis & laude coruscos,
Quos aliis, sana doctrina, & moribus, esse
Exemplo exoptat. Vota hæc implebis *Amice*
Et Fautor Venerande! haud immutaberis unquam,
Quamvis mutato dicendus nomine DOCTOR!
Sint *Gryphicæ* fausta hæc rursus sollemnia, nube
Bellorum pulsa! servet qvoscunqve Docentes
SUPREMUS! Læto magnus KRAKEVITZIUS ævo
Floreat, & *Varno* conjunctus vivat! ut ante
Theologus summus vixit MAYERUS, Eundem,
Haud vano augurio Proavum spondere prophetans. (b)
Sic mihi *Patronum* in *Pomerana* spondeo *terra*,
Varniaca ut quondam sensi; sic *Aula* vetustas,
Quas Schola jam fixit, STIEBERE, ususque probavit,
Non turbabit amicitiæ, Te sospite, leges!

(b) *Vid. B. MAYERI alloquium ad B. FECHTIUM, cum Aphorismos Theol. B. DORSCHÆI Eidem inscriberet.*

Erratum. p. 116. lin. 3. à fine. *hosce*, pro, nosce

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1003463118/phys_0140
DFG

Sic GRYPHICIS voluere trare

Dotes! quas magnus celeb TIUS

Quas genere & meritis ful T VI-

Elogiis dignis. Sed & hic is
Objiciunt ſeſe nobis, mu ur
Ænigma hocce decus; quibu Ipſe

Egregie monſtrans, multis is
Eſſe, nec ad plenam nos lu-

Sis igitur felix, tanto de ore,
Vir ſumme Reverende! Tuas
Miretur dotes! Dudum qu ſtis
Promere, qui verbum ſic di ue,
Ut fas eſt, noſti! Cumulentur MI,
Et nova DOCTORI tribuan ſte
Qui titulum ſtudio volui re,

Ut non immerito placuit N tos
Qui titulis tantis alios prop
Duxerunt ſibi. Nempe v lica

Egregiis ornat titulis, aliisq
Vult illos præbere manus;
Sic ſibi Doctores legit, Oec Sa-

inc

(a) *In Diſp. Inaug. De Theolo ica.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1003463118/phys_0141
DFG